„Civis noster, Joannes Saxo Fraustadiensis, quem pueri olim cognovimus, quum Helmstadii Auditorem Conringii ageret, et Vir ille celeberrimus, quod Suecis faveret Polonis infensior, inter alia satis acerbe diceret: Scopum Reipublicæ Polonicæ esse luxum; ipse Patriæ honorem vindicaturus, de Scopo Reipublicæ Polonicæ, sub nomine Francisci Marini Dissertationem scripsit perquam eruditam, hic Vratislaviæ Anno 1665. publicatam, sed mox prohibitam, quod erga Serenissimam Austriacorum Familiam intemperantius se gessisset. Cæterum Conringius ne tacuisse videretur, opposuit quidem aliquid, sed profecto non visus est rem acu tetigisse, Mariniqᵉ liber ab omnibus cordatis in pretio habetur. Jam antea quoque Poloniam contra Barclajum, in Icone animorum, multo eam sale imo felle perfricantem, defenderat Lucas Opalinius, Vir illustris, cujus Polonia defensa 1648. prodiit Dantisci in 4."—

Vid: Christiani Gryphii, Rectoris olim apud Vratislavienses Magdalenæi, Apparatus sive Dissertatio Isagogica de Scriptoribus Historiam Seculi XVII. illustrantibus. Lipsiæ 1710. in 8. pag: 517. et 518. —

(NB. Libellus adversus Franciscum Marinium emissus, huic Marinii Dissertationi adnexus infra reperitur.)

DE SCOPO REIPUBLICÆ POLONICÆ,

adversus

HERMANNUM CONRINGIUM, PROFESSOREM HELMSTADIENSEM,

DISSERTATIO

qua simul Status Regni Poloniæ novissimè describitur,

AUTORE

FRANCISCO MARINIO POLONO.

VRATISLAVIÆ
Impensis VITI JACOBI TRESCHERI, Bibliopolæ.
M. DC. LXV.

Index Capitum.

Præ-

Præfatio ad Lectorem.

DUos nacta est Polonia nostra, benevol. Lector, Censores; unum gente Scotum, Johannem Barclajum; Frisium alterum Orientalem, Hermannum Conringium; illum Argenidis, Euphormionis cum Icone Autorem, hunc scriptis Theologicis, Medicis & Politicis notissimum; utrumque rigidum admodùm & injustum Censorem. Quid Barclajus adversus Poloniam tentaverit seu potiùs eructaverit, constat illi, qui perlegit Iconis caput octavum, quo Polonorum mores de-

descripsit, quanto, bone Deus! maledicendi fervore & studio! Neque intra calumniæ limites continuit se improba viri audacia, sed fabulas quoque & mendacia turpiter admiscuit, quæ verò in lucē protraxit summo erga Patriam amore *Autor Poloniæ defensæ adversus Barclajum.* Aliter enim illi accidere non potuit, qui ea omnia pro veris accepit, quæ ab aliis partim manifestò falsa, partim ex odio narrantur, nisi ut Lectorem & seipsum deciperet. Testis est vel saltem idem caput, ut alia silentio præteream, in quo de Muscovitarum uxoribus notam & ridiculam fabulam, sine dubio ex *Alexandri Gvagnini descript. Muscov. c.* 4. haustam, ipse refert; *illas* scilicet *virorum*

rum in se benevolentiam ex verberum numero æstimare; nunquàm melius suô judicio haberi, quàm si in sæva ingenia inciderint; Quis credat, usque adeò fœminas illas tàm stupidi ingenii esse posse, ut verbera appetant, quæ quidem ipsa bruta expavescunt. Fidem hujus fabulæ meritò castigavit *Adamus Olearius in Itiner. Persico.* Nolo tamen rem habere cum Barclajo, atque ejus descriptionem morum Polonorum satyricam sub examen revocare, ne actum agere videar, perfecit hoc opus non minùs doctè, quàm accuratè Autor anonymus Poloniæ defensæ. Itaque mihi res erit cum Conringio. Et verò non dubitavit ille ante annos aliquot, cùm faceret sermonem

de Republ. Polon. in collegio, quod dicitur, privato, Auditoribus ſuis proponere, quaſi *ſcopus Reipublicæ Polonicæ hodiè ſit vita luxurioſa*. Obſtupeſcebam ſanè, & meritô, ob audaciam viri, & inſignem contumeliam. Itaque clàm ingentem coquebam iram, quia palàm non licebat, & ſtatim hanc monſtroſam ſententiam publicè oppugnare atque obtruncare conabar. Addebat ſtimulum, quod viderem tanquàm oraculum ab omnibus tacito applauſu arripi. Quia verò negotiis, quæ benè multa mihi tum temporis incumbebant, breve aliquod otium ſuffurari non licebat, diſtuli invitus ad hoc usque tempus. Eò promtiùs autem id agendum mihi credebam, quo magis

gis errorem illum non ſtudio veritatis aſſerendæ, ſed ex odio adverſus Polonos ingenti atq; affectibus potiùs infelicem ortum trahere, animadvertebam. Augebat ſuſpicionem, quia probè mihi notum erat, Conringium nuper tempore belli Svecici, non ſolùm ad conſilia publica admiſſum fuiſſe, ſed curaſſe quoq; diligenter libellos aliquot, qui nuditati cauſarum belli velum objicere debebant, partim venali operâ ſuos, partim aliorum manu conſutos, typis Helmſtadii inprimi; quibus adjecerat præfationem ſuam, quod opus haberent hædera, aliàs erant minus vendibiles. Errare itaque non poteram, quin certo certiùs concludere, Conringium affectibus ſuis in-

dulsisse; & tàm iniquam sententiam de Polonia tulisse, quòd laboraret morbo, quo non frequẽtior hodiè ullus est. Scilicet, ut tubi optici ex una parte rei alicujus magnitudinem augent, ex alterâ verò minuunt; ita nos quoque, si affectibus ducimur, illorum vitia, quorum ambitioni adulamur, nulla agnoscimus; aliorum verò, quibus malè volumus consultum nullam ob causam, cum nulla adsint, omnia tamen vitia judicamus. Hinc tanta judiciorum & Opinionum varietas, prout affectus vel nobiscum nati, aut ab aliis emti, aut cœca maledicendi libido radices in homine egerit. Ex hoc fonte, ut rectè observavit *Thomas Broune in relig. Medic. part. II. sect. IV.* con-

convitia & opprobria illa manarunt, non tantùm in universum aliquod vitæ genus; sed in totas nationes jacta, dum alii alios contumeliosis epithetis lacessere, & iniquissimâ Logica paucorum crimen in omnes diffundere non erubuerunt. Mendaces dixit Cretas Paulus ad *Tit. 1. v. 12.* autoritate tamen Poëtæ Ethnici usus. Græcos mendaces vocavit Juvenal. Satyr. X.

— & quicquid Græcia mendax
Audet in Historia.

Sybaritæ ob luxuriam olim vapularunt. Sardi venales dicti. Plura ejusmodi Scommata collegerunt *Alex. ab Alexandro l. 4. genial. dier. c. 13. Cornel. Agrippa. de vanit. scient. c. 54. Levinus Molken in not. ad re-*

 ligi-

ligion. Medic. part. 2. sect. IV. & alii. Habere autem quamvis Regionem ſpiritum ſuum, qui naſcentibus hominibus patriæ habitum & cupiditatem ſtatim ingeneret, *Barclajus autor eſt c. 2. Icon. anim.* Vocat illum, Genium *Petrus Firmianus in ſecul. gen. diſſert. 1.* habet, ait, quævis Regio ſuum genium, qui diverſos à cæteris affectus ſingularemque vitæ rationem ſuæ genti communicat. Quis ſit ille genius, quis ſpiritus, num cauſa aliqua ſuperior, cujus vi hominum reguntur ingenia, ſupervacaneum eſt hic inquirere. *vid. Frider. Lindenbrogius in not. ad c. 3. Cenſorini de die natali. Marſil. Ficinus lib. de vita cœlit. compar. c. 23. & Robert. Flud. in Hiſtor. Microcoſmi. tract. 1. ſect.*

1. ſect. 2. part. 4. l. 3. c. X. ſeqv. Certum verò hoc eſt, quosdam populos per aliquot ſecula ingeniorum morumque ſimilitudine nequaquam conveniſſe, ob eamq; morum diſſimilitudinem ſe invicem odio habuiſſe. Fortè Deus voluit unicuique genti æmulum & adverſarium excitare, quod tradit *Philipp. Cominæus l. x. comment.* An quod natura Regionis & educatio virtutum ſemina & vitiorum indiderit incolis? ita quidem videtur. Videas ſanè homines alibi naturâ leves, turbidisque præcipites conſiliis; iſtic triſti ſuperbiâ, tanquam ſpecie gravitatis & arcanæ ſapientiæ prægnantes; illos bibaces reperias: hos in re civili & ſacra fluctuantes; iſtos vindictæ cupi-

 dos,

dos. *Gallos* ob levitatem notari vulgò notum est. Hinc eadem celeritate, quâ primi illorum impetus succenduntur, intepescere inquit *Didac. Saavedra symb. polit. 81.* Neque diffitetur ipse *Thuanus lib. XVII. histor. Philippus Cominæus lib. 4. de bell. Neapolit. Rectè ille*, ait, *qui Gallorum animos ad suscipienda bella promtos esse & alacres; verùm remollescere paulatim, & ad perferendas calamitates minimè resistere dixerunt.* De *Hispanis* dicitur, quòd sint superbi & arrogantes. Ideò *Barclajus in Icon. c. VII.* egregiè; verba, quibus se suosque attollunt, ingrata audientibus fabulisque scribentium traducta, vultusque cum hoc grandi sermone conspirans & convictus, nisi

nisi domitis & servientibus animis gravis, sacræ Majestati penè quoddam odium addit. Ita *Johann. Mariana lib. 1. de reb. Hispan. c. VI.* ab ingeniorum austeritate morumque severitate & arrogantia odium nationum omnium Hispanos sustinere refert. De *Germanis* jam olim *Tacit. l. de mor. Germ.* diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Videtur planè in hæc verba commentarium scripsisse *Johann. Barclaj.* quando *c. V. Icon. immensa cupiditas potus, jam confesso vitio, ideoque magis libero, gentem illam infestat. Nec ad voluptatem tantùm hæc Thracica libido est, sed in parte comitatis, & penè disciplinæ. Germani nullâ comitate suavius, quàm longo, nec so-*

ſobrio convivio peregrinos credunt excipere, & tunc veriſſimam ab ipſis Hoſpitibus benevolentiam in ſe expromi, ubi mutuis poculis inundari non abnuunt. *Anglos* factioſos eſſe, & rerum novarum cupidos, oſtendit nuper experientia. Eſt proverbium Gallicum, *Angletterre, bon ne terre, bon argent, mauvaiſe gent.* Neque morum illam improbam licentiam rebus ſolùm civilibus, ſed Eccleſiaſticis quoque applicant. Enim verò ſi quis legat *Georgii Hornii librum de ſtatu Eccleſiarum Britanniæ*, facilè videbit, omnium ſectarum falſorumque dogmatum novercam eſſe Angliam. Centum & octoginta hæreſes in Britannia vigere aſſerit ille *p. 84.* Imò nullam hæreſin, nullam

lam blasphemiam, aut in religione confuſionem tàm impiam eſſe, quæ vel non inveniatur vel in Anglia oriatur, narrat è *Thomæ Edoardi Gangræna Honorius idem p. 52. & Theophil. Spizelius Scrutin. Atheiſmi. part. 2. c. 9.* *Italos* lentâ iracundia trahi neq; vindicta mitigari poſſe, *Barclajus tradit. c. VI. Icon.* Docet id egregiè exemplum, quod vulgò de Italo refertur; quanquam de rei veritate dubitat *Thom. Broune part. 2. relig. Med. ſect. VI.* Tritum aliàs de illis proverbium, *le bougre Italien*: antiqui græcari & prædicare dixerunt. Ad vitandum Sodomiæ ſcelus & adulteria, Romæ lupanaria concedi, ſcribit *Joh. Theod. Sprengerus l. 8. Rom. novæ. c. 3.* ex duobus enim malis mi-

minus esse eligendum conclu- dit *Fern. Vasquius contr. illustr. c. 48.* & hoc casu in Japoniâ lupanaria concedi testatur *Bernh. Varenius descript. Japon. c. XIII.* An injuria hoc crimen Italis imputetur, me latet. Manifestum tamen est, multos inter illos egregios planè extitisse lenones, qui de re Venereâ & masculâ quoque non dubitarunt scribere; quorum benè multos recenset *Cornelius Agrippa c. 64. de Vanit. scient.* Liber ille Italicus, qui inscribitur, *la puttana errante di M. P. Aretino*, flagitiosissimus planè est. Num sit partus scelestus illius Aretini, qui aliàs ob Atheismum infamis, atque autor libri hujus famosi *de tribus impostoribus* creditur *Mario Merseno*

no in elegant. quæst. illustr. ad Genes. p. 1830. non apparet. Johannem verò Casam, Archiepiscopum Beneventanum, poœma Italicum edidisse de Sodomia, testantur Sleidanus & Thuanus. Exemplar illius extare in Bibliotheca Ultrajectinâ, testis est *Gisbertus Voëtius part. 1. disput. Theol. select. disp. de Atheismo p. 204.* ubi latè de illo carmine. Angelum Politianum, Italum, epigramma quoque Græcum de masculâ Venere composuisse, tradit *Gabriel. Putherbeus in Theotimo, l. 1. p. 81. & ex eo Theoph. Spizelius scrutin. Atheis. III. C. XVI.* De illo testatur *Paulus Jovius in elog. doct. viror. p. 89.* ingenui adolescentis amore insano percitum in lethalem incidisse mor-

bum. Hæc in nationes vulgaria ſcommata aliquanto prolixius diduximus & narravimus, non eo animo, quaſi illis applauſum dare velimus; Sed quo magis appareat turpis ille, & injuſtus error, quo in charitatem peccamus; dum omnes eodem modulo ac pede metiri, atque ob paucorum crimen omnes uno ſtigmate notare iniquisſimâ conamur proportione. Neque conſideramus, quæ in aliis gula, in aliis naturam eſſe & genium loci. Accuſamus alios nepotes ob largiorem potum; & neſcimus, eosdem tueri conſuetudinem, aut excuſare necesſitatem. Regionis ſanè non hominũ vitium eſſe, Germanos largius bibere, argumento ſatis ſplendido probavit *Joh. Bodin. l.V. de Rep. c. 1.* quod qui ab Auſtro verſus Septentrionem iter habeant, eò bibaciores & voraciores reddantur; contra quam iis accidat, qui ad Auſtrum proficiſcuntur. Majorem caloris vim in Regionibus ad Septentrionem ſitis, & aëris ſicciſſimam naturam populis Germanicis majorem ſitim excitare, quàm Auſtralibus. Septentrionales plus habere caloris ipſis Auſtralibus, adeoque cibos & crapulam facilius concoquere poſſe. Faciunt huc, quæ habet *Frider. à Marſelaer l. 1. de Legato c. XVII.* ad defendendam Germanorum vehementem ſitim: Septentrionales, qui cum tenebris, cum frigore, cum inclementiâ aëris perpetuò dimicant, cœlo pares eſſe

esse non posse, nisi molestiam atque asperitatem omnem largiore interdum potu sepeliant. Quam in Gallis notavimus levitatem, hanc temeritatem potius dicendam esse contendit *Bodinus method. Histor. c. V.* sed quidnam discriminis sit inter levitatem & temeritatem, ego sanè non video. *Rectius l. V. de Rep. c. 1. p. 812.* defendit Gallos suos; non esse levitatem, sed summam ad res agendas alacritatem: vehementer eos falli, qui ad inconstantiam & perfidiam illam trahant. Non sine injuria tamen levitatem illam in Germanos detorquet, homo Germanis minimè amicus: quibus ingenuitatem, constantiam, & fidem hæreditariam esse ipse fatetur *Frider. à Marselaer.*

laer. l. 1. de Legat. c. 29. Hispanos arrogantia laborantes & superbiâ liberat *Joh. Mariana l. 6.* quod odium illud apud exteros natum, gravissimus & individuus magnorum Imperiorum comes esse soleat. Idem facit *Didac. Saavedra symb. pol. 81.* illam ipsam nativam gloriam & animi magnitudinem, quæ superbiæ adscribitur, & nationum aliarum contemtui est, quàm maximè rationem ducem sequi. Quæ de Angelo Politiano retulimus supra; falsa omnia ostendit esse latè *Caspar Barthius in adversar. lib. 47. c. V.* Solamen fortassis Italis quòd socios criminis habeant *Persas*, de quibus *Johann. de Laet. descript. Persiæ p. 132.* de *Japonensibus Bernh. Varenius descript.*

ſcript. Japoniæ. C. XVI. & XX. ubi Bonzios ipſos, ſacerdotes eorum, hoc flagitio ſe impunè polluere, & crebrâ conſuetudine ſublatum ſceleris odium refert. Sed hæc plus juſto prolixiora. Judicium Conringii quod attinet, de Scopo Reipubl. Polonicæ, videtur quoque ex illa ratione latum eſſe, quòd ille ſecutus ſit autoritatem ipſius Barclaji: cujus deſcriptionem morum Polonicorum non dubitavit ille contra omnem rei veritatem *perquàm elegántem* appellare. Num quod aliter ſe rem habere neſciverit? aut odio & affectibus magis litaverit; an quod Barclajus ipſe ita ſcripſerit? Hujus ſanè autoritas mihi nulla eſt, neque illis, qui veritatis aman-

tes ſunt, placebit. Eleganter *Albert. Kojaloviz Hiſtor. Litvan. p. 4. diſſidia animorum occultâ quadam vi finitimis ingenerari, quæ armis quieſcentibus ſtylo obſtinatè proſequi mos eſt.* An etiam Corringi9, ex quo bellum Svecicum finitum eſt, & materies calumniãdi ſublata; ore nihilomin9 & calamo hoſtilem animam prodere intendat. Immane odium! benè tamen, quod ſine viribus. Vapulat meritò, ſi ſtatum Reipublicæ neſcivit; ideoque minus veniâ dignus, quo magis audacem & temerarium ſe proſtituit in judicio illo omni ratione deſtituto, ferendo, *Scopum Reipublicæ Poloniæ eſſe vitam luxurioſam.* Quod nam ſit ejus verò argumeutum, ſi quæ-

ras, ipse nescio. Cui ad manus ejus Poloniæ descriptio, ex illa nihil colligere poterit; nisi à particulari ad universale turpi consequentià concludere velit. *Poloni quidam genio indulgent ergo omnes; ergo scopus Reipublicæ Polonicæ est vita luxuriosa?* Ita Germani sunt bibaces, ergo scopus Reipublicæ Germanicæ est vita luxuriosa? Rident profectò omnes hanc consequentiam; nisi qui peponem pro corde habent. Extra oleas verò diutius vagari desistimus, satius est, opus aggredi, quod molimur, absque ullâ verborum pompa, & splendore. Demonstrabimus itaque, *scopum Reipublicæ Polonicæ intendere, & esse civium omnium æqualitatem atque salutem.* Ita oppositis juxta se positis magis apparebit Veritatis nitor. Dabis veniam Lector, veritatis amans, si non omnia ex ipsis Politicæ penetralibus petita; plura etiam, quæ ad rem propriè non pertinent, operi subrepserint. Placuit enim doctrinam Politicam, quantum licuit, consultò immiscere; quanquam non negamus, peccatum hâc re à nobis. Saltem propterea veniam concedes, quod juvenis ego, cui nondum longâ experientia subactum ingenium & firmatum judicium, non dubitavi certamen inire cum veterano Politico, Professore, &, quod maximum, Consiliario Status. Amor Patriæ illud à me postulavit, & veri-

veritatis studium, non calumniæ, quam cane peius odi.

CAPUT I.

Scopum Rerum publicarum diversum esse.

SCopus Reipublilæ alicujus seu finis, dictus Aristoteli τέλ@ est, ad quem Respublica actiones omnes & leges dirigit; ita ut vel attendatur salus solius Dominantis; vel etiam subditorum simul. Hunc dicimus diversum esse, pro ut Rerum publicarum formæ quoque diversæ sunt; ut scilicet summa potestas vel sit penes unum, vel penes plures, vel omnes. Ita quando majestas alicujus Reipublicæ est penes unum, Rex audit & Monarcha. Hic salutẽ suam primariò, subditorum verò secundario, & ex accidenti saltem quærit, ut Dominus servi sui. Nec enim ille credit

dit, quod tradit *Fern. Vasquius controv. illustr. V. n. x.* & alibi, regimen omne eorum, qui reguntur, non qui regunt, causa esse factum: & imperia omnia parentium, non imperantium utilitatem spectare debere; multò minus à populi voluntate pendere jura regnandi, ut periculosè docet *Johann. Mariana l. 1. de Rege. & Reg. institut. c. 4.* Ridet hanc disputationem Monarcha. Democratia verò primariò pauperum salutem attendit, quia penes pauperes solùm summa potestas residet. Oligarchia verò divitum, quia penes divites majestas. Notandum enim est, differentiam specificam Democratiæ & Oligarchiæ non facere multitudinem & paucitatem Hominum, ut plerumque creditur, sed divitias, & paupertatem. Optimè hanc sententiam explicat *Aristoteles lib. 3. pol. c. V. lib. IV. C. IV. non oportet*, inquit, *statuere multitudinis statum, quemadmodum quidam censuerunt,*

runt, simpliciter hoc pacto, ubi summam potestatem habet multitudo: neque dominatum paucorum, ubi pauci in manu habent Rempublicam; sed magis dicendum, Popularem esse statum, cum liberi & pauperes in sua potestate habent Rempublicam: dominatum autem paucorum, cum divites. Defendit hanc sententiam *Johannes à Felden in analys libr. polit. Aristot. p. 143. & in element. jur. univ. part. 3. lib. 2 cap. 2. n. 1, & 3. contra Bodinum, qui lib. 2. de Republ. c. VII.* latè hanc Aristotelis sententiam oppugnat. Elegantèr *Johann. Henr. Boeclerus in præfat. comment. ad Hugon. Grotium. de jur. bell. & pac. p. 25* ejus crebras adversus Aristotelem disputationes *perpetuum & infelix ἔμβλημα Operis de Republica* esse monet. Quemadmodum itaque regimen Rerumpublicarum diversum est; ita quoque scopus diversus. Observant aliæ *latum & vastum Imperium* pro fine; quale olim Romani

Alex-

Alexander Magnus, Lacedæmones; Hodiè Rex Galliæ, Hispaniæ, Imperator Turcarum intendunt. Aliæ *divitias solùm & commercia* quæsiverunt, ut Tyrii olim, Carthaginenses; Batavi hodiè & Angli. Aliæ *voluptates & luxum* pro scopo posuerunt; quemadmodum olim Sybaritæ, apud quos luxus adeo invaluit, ut variis proverbiis apud posteros locum dederint. *Ubbo Emmius lib. VIII. de Græcia veteri. p. 180.* An hodiè Poloni? ita quidem vult Conringius, cujus tamen calumniam hoc opere retundemus. Differt quoque scopus Rerumpublicarum ratione mediorum, quibus utuntur summæ potestates ad obtinendum illum finem. Aliis enim Monarcha utitur, aliis Respublica mixta & Tyrannis: Aristocratia aliis. Omnes tamen in hoc convenire solent, ut quandoq; aberrent à scopo, quia media illa, quæ summa Potestas adhibet, non satis sùnt apta ad obtinendum scopum.

pum. Ita si Aristocratia pauperes non solùm tributis gravitèr premat, sed contumeliis quoque & injuriis lacessat, si æqualitatem inter nobiles tollat, tantum abest, ut scopum, qui est primariò divitum salus, assequatur, ut potius Rempublicam grandi objiciat periculo. Ita peccat Democratia, si magistratum sæpius uni committat; si ad longum tempus concedat; si permittat, existere aliquem nimiâ autoritate & opibus præditum. Ita aliæ Rerum publicarum formæ quandoque errant circa media: quæ interdum illicita moraliter esse possunt, civilitèr vero justa, quia necessaria & salutaria Reipublicæ.

CAPUT II.

Qualis Reipublicæ Forma apud Polonos sit.

CUm scopus alicujus Reipubl. dependeat à summâ potestate, ne-

cessarium est considerare prius Reipublicæ formam, quæ apud Polonos obtinet. Notandum autem, Rerum publicarum formas rursus diversas esse, *ut Aristoteles tradit L. 3. pol. c. V. rectas* scilicet, & *corruptas s. pravas.* Ita Regnum, Aristocratia & Politia inter Respublicas rectas referuntur: Tyrannis verò & Democratia, Oligarchia quoque pravas constituunt. Aristocratias veras hodiè non dari Autor est *Ludov. Septal. l. 3. de Rat. stat. c. 1.* Neque Oligarchiæ hodiè restant, quales tempore Aristotelis in Græciâ fuerunt. Certant verò Autores inter se, quænam *Reipublicæ forma inter omnes optima dicenda sit.* Laudant alii plenis buccis Imperium Regium, quia naturæ legibus maximè consentaneum sit, inter apes Regem esse, ad conservandam multitudini pacem, unum commodiorem esse pluribus, & quæ plura argumenta recenset *Johann Mariana l. 1. de Reg. & Reg Institit.*

ſtit.c.2 Qui tamen non negat, magnis periculis obnoxium eſſe Imperium Regium, ſæpè etiam degenerare in Tyrannidem; incommoda tamen, quæ à regis imperio metuenda, majoribus compenſari commodis. Egit de ſtatu Regio illo Ariſtoteles parcè admodum; quare id fecerit, non apparet, niſi cum Græcis crediderit, nullam regiam adminiſtrationem juſtam eſſe regendæ civitatis rationem; vel quod ejus tempore nulli veri Reges invenirentur; ſed Tyranni & Monarchæ omnes. *Hinc lib.V.pol.c.X.* expreſsè ait, *non conſtituuntur autem amplius Regna hac ætate, ſed cum extiterint, principatus potius ac Tyrannides ſunt.* Ariſtocratiam & Democratiam extollunt illi, qui Regio infenſi ſunt regimini. Et ita Anaximander apud Barclajum *l.1. Argenid. c.XV.* diſſerit contra regium ſtatú, plus videre oculos, quàm oculum; in diſpenſandis honoribus Reges non virtutis habitâ ratione, im-

impetu & affectibus duci; adulatoribus obnoxios nimis eſſe; nihil ſvavius libertate, aut quod magis cum naturâ conveniat. Rectè autem Nicopompus ad ſingula reſpondet; in primis monet, non adeo veram eſſe, quam jactitent, libertatem, ſed falſam & fucatam, ſcilicet libertatem ſe poſſidere autumant illi, qui Ariſtocratico reguntur imperio: cum magiſtratus ipſos plus, quam ſervili cogantur venerari ſubmisſione. Ad Regium imperium nauſeant delicatuli, ſub populari ſuo & optimatum regimine latentem in ſinu fovent Tyrannidem, neque agnoſcunt. Si exemplis uti licet, Batavi hodiè tàm plebeji ordinis, quàm nobiles nihil niſi libertatem crepant inter pocula, inter fumum Tabaci, ſi quando de ſtatu reipublicæ ſermo oriatur. Num illam reverâ poſſideant, alius loci eſt definire. Non incommodè huc verba referas Barclaji, *quando in Icon. anim. C.V. Vulgus in illis*

 pro-

provinciis speciem libertatis & vanam paritatis indicia plus ipsâ libertate æstimat. Dulci omnes libertatis lactantur spe, & nescio quàm æqualitatem sibi imaginantur. Omnes interim graviora premunt tributa & vectigalia, quæ apud populos, Regio statui subjectos vix invenias. Testis mihi est experientia & *Batavus autor Consideration van staat. part. 1. lib. IV. c. 2. p. 297. Marc. Zuer. Boxhornius in comment. de stat. fœd Belgii.* Omnia latent sub nomine Libertatis, cujus nobilitatem plerique ignorant. Prudentèr olim Solonis monitù Athenienses ipsarum rerum invidiam urbanè inditis nominibus molliorib. obtexerunt, ut *Plutarchus tradit in Solon. Aristoteles l. V. polit. C. XI.* inter artes Tyrannidis conservandæ ponit, si fœminis & servis magna detur licentia. Nescio, an major ullibi locorum obtineat, quàm in Hollandiâ, præsertim Lugduni Batavorum, inverso naturæ & di-

divino ordine; quo vir caput mulieris constitutus est; hic scabellnm pedum esse solet. Falsum tamen hoc est, quod *Saavedra symb. 78.* persuadere conatur, *majorem olim fuisse Belgarum libertatem, quàm bodiè.* Sive enim tempus illud referas ad Caroli Burgundi ætatem, certè sunt illi continuis bellis atque belli sumtibus vehementèr defatigati & exhausti, ut testatur *Cominæus lib. VII. comment. & Autor consider. status. post 1. lib. 4. c. 2.* Imò tum temporis non solum civibus & secularibus, sed Ecclesiasticis quoque personis nullo habito respectu imposita, &, si nollènt sponte conferre, per vim exacta sunt tributa. Magis falsum est, si ad tempora Regum Hispaniæ, Philippi II. maximè referamus. Unde enim ortum est bellum illud crudele, quod per quadraginta annos gestum est, si non ob denegatam conscientiæ libertatem, Hispanicam inquisitionem, odiosam deci-

 marum

marum exactionem & alia? Sed hæc fortasſis prolixius. Pergimus. Regimen Ariſtocraticum proximè Democratiæ accedens præ reliquis commendat *Autor conſiderat. ſtatus part. 3. l. 3. c. 5.* & hanc Reipublicæ Bavaricæ formam eſſe fatetur. Multitudinis Imperium magis placet *Caſparo Contareno lib. 1. de Reg. Venet.* Quamvis, ait, multorum ſententia regius dominatus aliis habetur præſtantior: crediderim tamen ego, tametſi unius principatus, qui verè regiam dignitatem ac jure merito vendicat ſibi, ſi res per ſe conſideretur, optimus omnium eſt: *nihilominus propter ſæpius in deteriorem partem labile ingenium hominis ac vitæ brevitatem optimum omnium Statum minimè eſſe ſub regio principatu; ſed multitudinis gubernationem civili ſocietati magis convenire*, quod experientia luculentèr docet. Intelligit autem per multitudinem nobiles & optimates; non populum, quem à re-

republicâ adminiſtranda prudenter remotum aſſerit. *lib. 1. de republ. Venet. p. 26.* Ita variant Autorum ſententiæ circa formas rerumpublicarum ſimplices. Quænam ex illis optima jure dicenda ſit, noſtri non eſt inſtituti, definire; Illud tenendum, formam Reipublicæ Polonicæ ad ſimplices referri non poſſe, ſed ad mixtas; quas *lib. 2. de republ. c. I.* Bodinus non dubitavit negare. Rectè Bœclerus *comm. annal. Tac. lib. 1. p. 12.* omnem in rebus publicis negare mixtionem nimis quàm Scholaſticum eſſe & Sophiſticum. Diſtingvit Bodinus inter Statum civitatis & rationem gubernandi, quâ ſibi diſtinctione egregiè adulatur, & triumphum canit, neminem anteà hanc animadvertiſſe; Cum tamen *Ariſtoteles l. IV. pol. c. 5.* expreſsè monuerit, *obſervandũ eſſe, quod in multis locis accidit, Rempublic. quæ ſecundũ leges non eſt Democratica, Democraticè tamen adminiſtrari: ſimiliter apu-*

apud alios contingit, Rempublicam secundum leges esse Democraticam Obligarchico tamen more magis gubernari. Id tamen perpetuo accidere negavit. *Videatur Nicolaus Crassus lib. de formâ Reipubl. Venet.* ubi latè contra Bodinum. Mixta itaque est forma Reipublicæ Polonicæ: an autem illa mixtio è tribus aut duabus formis constet, inquirendum est. Si Cromerum sequi velis, è tribus mixtam esse credas. Ita enim *ille lib. 2. de Republ. Polon.* Rempublicam Poloniæ à veteri Lacedæmoniorum vel hujus temporis Venetorum non multum differre inquit. Quæ tamen comparatio nullo aut infirmo planè nititur fundamento. Quod Lacedæmoniorum rempublicam attinet, accuratè illam satis descripsit *Ubbo Emmius in Rebus p. Græc.* quæ si per transennam saltem inspiciatur, facilè differentia cuivis apparebit. Ita autem Lycurgns, Laconum legislator, duos Reges Reipubl, illi præfecit,

cit, exiguæ planè potentiæ: Polonis est Rex unus, eximiæ sic satis autoritatis. Adjunxit Regibus viginti & octo Senatores, quorum absque consilio & consensu nihil valebant efficere, quæ summæ sunt potestatis. Sunt nobis centum & quinquaginta Senatores; sine quorum tamen consensu Rex noster ea præstare potest, quæ reverà sunt juris Regii. Eligebantur illi à Concilio populi; nostros Rex noster pro lubitu constituit. Erant illis quinque Ephori, qui quotannis è toto populo absque ullo discrimine generis & opum eligebantur, ut infimi quoque subsellii & fortunæ homines admitterentur. Nobis nulli sunt Ephori, nisi hoc nomine insignire velis Nuncios terrestres, qui non quotannis, nec quinque, neque è plebe, sed in Comitiis, à Nobilitate ipsi Nobiles eliguntur. Et quæ suut alia. Apparet itaque manifestò ex his ingens illud discrimen, quod intet Rempublicam

cam Laconum & Polonorum hodiè intercedit. Rectius comparatur cum Venetâ Respublica Polonica, non tamen satis accuratè. Dicit quidem *Contarenus lib. 1. de rep. Venet.* Ducem Venetorum Regiam præ se ferre dignitatem. *& lib 2.* Principem in urbe Veneta personam Regis & gubernationis Regiæ speciem præsentare. At verò Rex Poloniæ noster non tantum speciem Regiæ majestatis, sed reverà majestatem Regiam possidet. Itaque hac in parte comparatio manca est. Porrò quod attinet Decem viros seniores & Senatum Venetum, illos Aristocratiam quandam constituere tradit *Joh. Cotovicus in synop. reip. Venet. c. 1. Nicolaus Crassus l. de for. Reip. Venet.* Ita Senatum Polonicum referre Aristocratiam aliquam argumentatur Cromerus. Quæ tamen comparatio itidem minus benè se habet. Concilium verò Magnum apud Venetos, quod plusquam M CC Homini-

minibus *Crassus l. c.* constare refert; mille & quingentis *Bodinus: autor consider. part. 2. l. 4. c. 2.* ter mille capitibus, Democraticum regimen constituere. Id tamen non minus falsum est, si Aristotelis inhæreamus sententiæ; qui Democraticam non à multitudine, sed pauperibus regi concludit *l. 3. Pol. c. 7. l. 4. c. 2.* At verò Concilium illud Magnum non è pauperibus & plebe, sed nobilibus divitibus, & patritiis consistit, qui suam primariò quærunt salutem. Ideo non desunt, qui Rempublicam Venetam puram Aristocratiam esse contendant, quos inter *Bodinus l. 2. de rep. c. 1. Ludov. Septal. l. 4. de Rat. status in proœm. & lib. 6. c. 1. Bœclerus in dissert. ad Hugon. Grotium. p. 48. & in Commentar. ad annal. Taciti. lib. 1. c. 1. p. 12.* Nostræ Reipublicæ forma nequaquam Aristocratica dici potest, quia Rex noster in quibusdam Regià verè pollet Autoritate. Nec minus falsum, quod ineptè *Thomas Lan-*

Lansius orat contr. Polon. in fin. garrit, *Polonos nec Regem habere, nec regnum, sed oligarchicum Regiminis genus, fucatâ Regni specie & Regis titulo adumbratum. Simon Staravolscius p. 81 descript. Regni Polon.* è tribus primis simplicibus Rempublicam Polonicam compositam esse formis innuit, parum tamen, si accuratè loqui velis, ad rem. Secutus est Cromerum, cujus verba pleraque suæ inseruit Reipubl. descriptioni. *Mea est sententia, formam Reipublicæ Polonicæ Regiam esse, sed Aristocraticè mixtam.* Potest enim Rex quædam, quæ sunt potestatis Regiæ, constituere absque consensu Nobilium: plura tamen cum consensu, de quibus in sequentibus.

CA-

CAPUT III.

Major olim fuit Regum Poloniæ potestas.

EGregiè *Cromerus lib. 2. de Rep. Polon. Fuit initio liberior dominatus principis & nullis propemodum legibus adstrictus, infinitam non modo omnium rerum, sed etiam vitæ necisque potestatem omnium habens. Post susceptam verò publicè Religionem Christianam temperari ea cœpit, partim piis monitis & doctrinâ Episcoporum & Sacerdotum; ac populorum cæterorum Christianorum imitatione & moribus; deinde bellatricis noblilitatis meritis & obsequiis; fortassis etiam contentionibus multa de jure suo remittentibus & indulgentibus equestri ordini Regibus.* Hæc ille doctè satis. Duo hic notanda sunt, primis temporibus Rempublicam nostram contentam fuisse Principis nomine, perinde atque olim Augustus, Roma-

manorum Imperator. Donec Otto III. Imperator Germanorum, cum Gnesnam ad sepulchrum D. Adalberti novi martyris voti exsolvendi causa, venisset anno Christi millesimo & primo; Boleslaum Chobri, principem Poloniæ, perhumanitatem inter salutandum more Regum occidentalium appellavit Regem. Suscepit hunc titulum Boleslaus recens Christianus factus, non quasi illo ad principatus majestatem opus haberet, sed quia credebat, quemlibet Christianum Principem Regem debere vocari. Ita rectè *Maxim. Fredro fragm. pol. p. 150. seq.* Quo tempore verò factum sit, num anno 1001. incertum est. Sanè, si autoritate pugnare licet, apparet ex *Lamberto Schaftnaburgensi anno Domini 1077. Ducem Polonorum, regiam dignitatem regiumque nomen sibi usurpasse, diadema imposuisse, a que ipso die nativitatis Domini à quindecim Episcopis in Regem consecratum esse. Vid.*

Vid. pag. 246. ex edit. Pistorii. Francof. 1613. Aliter *Godfridus Viterbiensis Chron. part. XVII. anno Domini 1020. Ducem Boleslaum per seipsum Regem vocari intendisse*, refert. *Coippo* verò *de vita Conradi Salici. anno 1024. Boleslaum Slavigenam Ducem Bolanorum* (Polonorum) *insignia regalia & regium nomen in injuriam Regis Conradi sibi aptasse narrat.* Ex his sanè elucet clare, incertum non minus, quo tempore Duces Poloniæ Reges vocari cæperint; quàm fabulam esse Boleslaum ab Ottone III. coronam regiam beneficii loco accepisse, quod ipse *Cromerus* non dubitavit asserere *lib 3. hist.* secutus fidem Germanorum tum temporis. Eadem à Cromero hauserunt *Joh. Herburt. de Fulstin. lib. 2. Chron. Pol. C. IV. Alexand. Gvagninus Tom. 1. hist. Polon. Salom. Neugebauer. lib. 3. Histor. Polon. & alii.* Ut itaque vehementèr erret *Conringius* quando *l. 1. de Finib. Imper. German. C. XIIX.* scri-

ſcribit, apud Neugebauerum *multa deprehendi, quæ nunquam à quoquam ante hac prodita ſunt :* cum iisdem verbis hiſtoriam illam recitet *Cromerus l. c. & Herb. de Fulſtin.* è quibus pleraque ex ſcripſit Neugebauerus. Ejusdem farinæ, eſt, quando latè probare conatur *l. c.* Duces noſtros Polon. olim Cæſaribus German. tributarios fuiſſe : uſus ſaltem, quod miror, autoritate unius Ditmari, cujus fidem meritò in dubium traxit *Abrah. Bzovius annal. Eccleſ. anno 1001.* Sanè propterea teſtis omni exceptione major vocari haud meruit, quia fuit Epiſcopus Mersburgenſis, quia nobili genere natus, quia inſigni probitate; potuit enim nihilominus errare, ut reliqui omnes, qui in clauſtris ſuis penè non ſepulti, auſi ſunt ſcribere de rebus ab exteris geſtis, quas famâ dubia, ut ſolet, perceperant. Referunt tamen non ſolum Ditmarus, quod Duces Poloniæ fuerunt ſubjecti & tributarii

tarii Romanis Germanicisque Cæſaribus, ſed *Laubertus* quoque *Schafnaburgenſis. anno 1077. p. 246. Godfrid. Viterbienſis. Chron. p. XVII. anno Chriſti 1020. Radevicus lib. 1. de reb. geſt. Frider. I. c. V. atque ex eo Güntherus in Ligurino. lib. X.* qui non dubitat ſummam tributi quoque nominare, *quingentas marcas. Henr. Mutius lib. 14. Chron. l. 16. 17. 18. Anton. Bonfinius dec. 2. Hiſtor. Hungar; lib. 2. Melch. Goldaſtus l. 6. de Regn. Bohem. c. X. aliiquè.* Nec minus temerè & falsò tradit *Paulus Stranskus l. de republ. Bohemor. c. VIII. p. 353. 356.* tributam dediſſe olim Reges Poloniæ Bohemiæ Regulis. Controverſiam tamen hanc meam jam non faciam; brevi verò peculiari operâ Poloniam noſtram ab hac calumnia liberabo, & clarè ſufficienterque demonſtrabo, *Reges Poloniæ nunquam & nulli fuiſſe tributarios atque ſubjectos.* Interea pergimus. Quod verba Cromeri attinet, notan-

tandum porrò est, Polonos nostros aliquantò diutius religionem Christianam suscepisse, seculo scil. post natum Christum decimo, *anno 965.* sub duce Micislao. Factum id est, ut ait *Cromerus lib. 3. Histor.* propter barbariem, cujus gratia difficilis ad illos Homines erat aditus; nec enim illi militiæ & bellis dediti multùm de religione disquirebant. Num Germanis verò Christianam illam fidem debeant, an Græcis, incertum est. *Videtur Paulus Piasecius. Chron. p. 48.* ex odio potius in Germanos, Græcis illud beneficium adscripsisse. Certum verò hoc est, Duces olim Poloniæ, quamvis regio abstinuerint nomine; revèra tamen regiâ planè potestate rempublicam administrasse: neque retentum nomen regium, quod Boleslaus receperat, ultra quartum Regem, ut eò magis ostenderent, tanquam Regium nomen & coronam non beneficii, sed honoris gratiâ usurpâssent. Pri-

Primus dein Præmislus, Posnaniensium & Pomeraniæ Dux, per ducentos & quindecim annos intermissum regium nomen revocavit *anno 1295. ut testatur. Cromer. l. XI. Hist.* Diadema regium imposuit Gnesnæ Regi Jacobus Svenca, Archiepiscopus Gnesnensis. Ex hoc tempore utuntur Reges nostri nomine Regio. Decrevit vero, *ut dicit Cromerus*, Regum Poloniæ potestas, postquam Christianæ religioni nomen dedit Micislaus. Partim spontè sua remittentibus de potestate suâ Regibus, partim etiam vi extorquentibus Nobilibus, contrà magis ac magis Nobilium crevit autoritas. *Anno 1386.* deinde Respublica ipsa majorib. firmata viribus; ex quo per Jagellonem Litvaniæ Ducem Litvania Regno Poloniæ prudentissimo & Romanis olim usitato sæpius consilio conjuncta est. Quemadmodum enim Romani vires suas & Imperium multum auxerunt, quod jus civita-

tis suæ aliis quoque civitatibus & provinciis integris impertirentur: ita Litvania in æqualia jura recepta est, qualia in Polonia obtinent nobiles & plebeii. Crevit itaque non parum ipsa respublica: ingens autem detrimentum & pristinæ potestatis jacturam fecerunt Reges nostri. Est hæc rota humanarum rerum, & maximè rerum publicarum, quæ facit, ut respublica aliqua interdum magnum patiatur damnum: interdum planè ad invidiam caput exerat. Potest fieri, ut aliquando mutetur forma reipublicæ atque à regno Tyrannis suppullulet, manende eâdem civitate, quamvis Aristoteles videatur negare *lib. 3. pol. c. 2.* magis tamen arridet *Hugon. Grotii* sententia, quam *lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 9. n. 8.* proponit, populum Romanum sub Regibus, Consulibus, Imperatoribus eundem mansisse. Licet non negem, quæstionem hanc intricatam valdè & obscuram esse; quæ

quæ tamen illustrari possit, si inter formas accidentales & essentiales Reipublicæ distinguamus, scilicet civitatem, ut eadẽ sit, non debere Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratię, sed essentiali formæ, id est ordini parendi & imperandi, remotâ omni accidentali forma, ut docet *Joh. Henr. Boecler. diss. 1. ad Hug. Grot. p. 5.* Mutatur etiam interdum Status Reipublicæ ex Aristocratia in Democratiam, ita quidem, ut jures esse puram Democratiam; cum tamen non sit, quia status & forma Reipublicæ est quidem Democratica; modus tamen administrandi Aristocraticus, adeoque distinctus Reipublicæ status à modo regiminis, de quo *cap. 2.* egimus. Concludit verò hinc *Boeclerus diss. 1. ad Grotiũ. p. 47.* non dari hodiè Democratias, nisi Aristocraticè temperatas, ita scilicet, ut status Reipublicæ sit Democraticus modus tamen administrandi Aristocraticus. Nam Respublica Argentora.

toratensis ita se habeat, quæ hodiè in exemplum Democraticæ reipublicæ proponi solet, dubito. *Bodinus* sanè *lib. VI. de republ. c. IV.* asserit expressè, Argentinensem populum cæsâ nobilitate communibus suffragiis convenisse. *nequis summos magistratus gereret, nisi à cerdonibus & coriariis aut id genus sordidis opificibus originem traheret.* Lectu dignissima *Historia Florentina Nicol. Machiavelli*, illius politicarum artium cymbali, ut Conringio audit *introd. in polit. Aristot. c. 3.* In illa sanè observabit quilibet plura & egregia mutationum exempla, neque unius generis, modò plebe, modo nobilibus prævalentibus, modò singulis sub jugum missis, ut tandem etiam ad carminatorem quendam summa reipubl. Florentinæ pervenerit, teste *Machiavello lib 3. Hist. Florent.* Si historiam consulimus apparet Imperatoribus Germanis & Regibus Poloniæ communem fuisse sortem quia

quia utriusque potestas successù temporis restricta est. Major tamen potestas remansit Regi Poloniæ circa Constitutionē Magistratuum tàm secularium quàm Ecclesiasticorum: quæ nam autem sit illa, descripsit rectè satis *Staravolscius*. Potest Rex Poloniæ Magistratus seculares & Ecclesiasticos pro lubitù constituere; Imperator non potest; quia electio Episcoporum Germaniæ ad capitula Canonicorum cathedraliū delata est. Vincit itaque hâc in parte Rex noster ipsum Cæsarem; quod rectè observavitquoq; *Hippolyt9* ille *part. 1. Rat. Status C. XIII. fin.* Paucis videbimus, quemadmodum reliquorum Regum potestas olim se habuerit, & hodiè. Et verò illorum olim autoritas planè exigua fuit; crevit successu temporis. Ita siquis legat Claudium Sesellium, olim planè tenuem fuisse Regum Galliæ fortunam & vim, facilè animadvertet. Hodie verò in tantum

excrevit, in quantum vix ulla. Carolum VII. primùm ſuo arbitratu pecuniam absque comitiorum conſenſu imperaſſe teſtatur *Phil. Cominæus l. 9. comment.* Ejus filium Ludovicũ XI. Regem Galliæ *Tiberium Francicum vel Chriſtianum* non dubitavit appellare *Johann. de Buſſier. lib. 13. Hiſtor. Franc. c. 25.* cordatus, & veritatis amans ſcriptor, quamvis ex ordine Jeſuitarum. Primus ille Ludovicus regiam Galliarum adminiſtrationem adhuc temperatam legibus in παμβασιλείας nullisque legum repagulis coërcitã potentiam invertit; ideoque ſolitum fuiſſe affirmare, narrat *Thom. Smithus l. 1. de rep. Angl. C. VII. ſuâ potiſſimum operâ Regnum Gallicum quaſi ad plenam pubertatem redactum eſſe.* Ludovico dein *XIII.* regnante omnis planè autoritas Parlamenti Pariſienſis & Procerum ſimul ſuppreſſa eſt, artibus Marsſchallorum Ancræi, & Luynæi, Cardinalis imprimis Riche-

lii, poſtquam ejus operâ Rupella, radix matrix, per quam ſtabant Hugonottorum vires, capta, & munimentis ſolo æquatis, Reformatorum quoque potentia diruta eſt. Contulerant ad obſidionem illius urbis Clerici tricies centena librarũ millia ad exſtirpandam hæreſin; tantũ erat in ſectarios odium! Neſciebant autem libertatem quoque ſuam peti ſimul. Elegantèr *Gramondus lib. 18. hiſtor. Gall. in fin. primus hic lapis poſitus eſt, in quo fundavit Cardinalis Richelius autoritatem, quæ exemplo caruerat in hunc diem; hinc ruina Calviniana ſectæ in Gallia, læta Gallis victoria, ſi libertas maneret, qualis erat ſtante Rupellâ.* Regum Hiſpaniæ poteſtas olim quoque minor fuit, quàm hodie. Docet *Mariana lib. 1. de Reg. & Reg. inſtit. c. 8.* Regem Hiſpaniæ non putuiſſe ſubditis vectigalia imperare diſſentiente populo: & *lib. 1. c. 3.* Hiſpanorum Reges, quamdiu Gothorum imperium

stetit omnes electitios fuisse; imperio dein & legibus commutatis hæreditariam successionem tempus invexisse nimiâ Regum potentia, populisque voluntati Principum blandientibus. Hodiè verò aliter se omnia habent. Regnum Daniæ nuper ex electitio hæreditarium factum est, compensato aliquantum damno, quod tempore belli Suecici fecit. Regna Hungariæ & Bohemiæ ex electitiis in hæreditaria transmutata sunt artibus Austriacorum. Ita regna ad Occidentem mutationes senserunt, quibus ad Orientem sita obnoxia quoque fuerunt. Passa est ingens planè detrimentum, utinam tandem ruinam! effrenis Turcarum Imperatorum potentia, ex quo vulgatum arcanum illud, posse Imperatorem Turcicum à Janizaris impunè trucidari. Quâ ratione regnum Chinense ad Tartaros devenerit, recenset omnia eleganter *Martinus Martinius dec. 1. Hist. Sinica.*

Quomodo omnis potentia apud Japonenses Dayris ablata, & ad Tayckonem militem gregarium, sed strenuum, deinde Cubum s. militiæ præfectum & ejus successores devoluta sit, latè refert *Bernh. Varenius descript. Japon. c. IV.* Ita sanè omnia regna mutationes senserunt, & vel incrementum ceperunt majus, vel pristinæ dignitatis naufragium fecerunt. Risu dignum, quod jactitant Venetorum Scriptores, in primis *Nicol. Crassus in not. ad Jannot. p. 98.* Rempublicam Venetam nunquam mutatam esse à pristinâ forma, sed à suis primordiis ad hæc usq; tempora unam & eandem perstitisse. Propterea Crassus invehitur in Bodinum, qui secutus fidem ipsius Jannotii scripsit *l. b. 2. de repul. c. 1. p. 282.* ante Sebastianum Zyanum, Ducem Venetorum, planè monarchicam fuisse Ducum potestatem. Et verò expresè *Donat. Jannotius l. de rep. Venet. p. 59.* itaque *Dux modera-*

batur universâ Rempublicam propriâ autoritate, quæ cum nullis frenis coërceretur, accidebat plerumque, ut nimis insolenter iis se efferrent, qui eâ præditi erant. *& alibi p. 67.* præterea quisquis evolvit nostra monumenta supra tempora *Sebastiani Zyani* paucos omninò cives reperit, qui publicis rebus operam navarint; ejus rei nulla potest afferri præterquam hæc causa, *quod vellent ipsos Duces cuncta suo arbitratu gerere atque moderari. & p. 71.* adeptus est principatum ipse Petrus Zyanus ad Christi annum M. CCV. quo quidem temporis intervallo conjicere possumus, *ejus summam potentiam legibus latis temperaram esse.* Ita sanè expressè Jannotius. Debuisset itaque Crassus Jannotiū potius, quàm Bodinum erroris arguere.

CAPUT IV.

Regnum Poloniæ est electitium.

DIsputant Politici, quænam successio regia præstet, hæreditaria, an electitia? Utraque sanè patronis stipata est, prout quisque affectibus ducitur. Eligunt alii, & modis omnibus commendant successionem hæreditariam. Hos inter *Johann Bodinus l. VI. de rep. c. V. & Mariana l. 1. de Rege. c. 3.* Ad domesticam enim tranquillitatem retinendam nullam commodiorem rationem esse, quàm lege successore designato; ne studiis populorum aut cupiditati principum locus sit, sublatâ omni contentionis facultate Ita quoque apud *Barclajum l. 1. Argen. c. 15.* Dunalbius. Contra alii electionem magis laudant; & hac ratione impugnat vehementer *Georg. Buchananus lib. VII. hist. Scotic.*

p. 207. seq. successionem hæreditariam. Non examinabimus argumenta, quæ pro utraque successione in medium proferri solent, cum illa apud omnes, qui politicã doctrinam tradiderunt, passim occurrant. Hoc saltem monere necessarium est, apud Polonos magis probari regnum electitium, quia magis convenit libertati & moribus Polonicis: dein omnia regna, quæ ex electitiis in hæreditariam successionem mutata sunt, partim omnem adse traxisse potestatem, ademtis subditis libertate & juribus; partim adhuc trahere: illa verò, quæ hactenus sibi jus eligendi Reges vindicarunt, pristinâ adhuc gaudere libertate. Quicquid itaque illi disputant contra Regna electitia, esse illa obnoxia crebris Interregnis, quibus nihil perniciosius Reipublicæ accidere potest; tempore Interregnorum, mortuo Rege, mortuam quoque esse solere legum vim & justitiam. In Interregnis

gnis nihil tàm sanctum esse, nihil tàm sacrum, quod non fœdissimè soleat & cum summâ impunitate contaminari: nihilominus tunti momenti non sunt illa argumenta, ut tollere electionis Regiæ præstantiam queant; ut potius rectè strenueque defendant Poloni electionem, quâ omnes nititur Reipublicæ libertas, quâ sublata, omnis cadet. Notandum porrò est, quamvis vehementèr studeant electioni Nobiles, non tamen excludere Regum filios à successione; ideoque quo facilius & felicius bellorum intestinorum fomenta extinguantur, illos exteris omnibus præferendos judicant. Observavit id rectè *Bodinus l. VI de Rep. c. V. & Maximil. Fredro. p. 5. de reb. gest. popul. Pol. sub Henric. Valesio* egregiè in hanc rem, *licet* ait, *populo Polono ea eligendi potestas, ut natis Regum post habitis, aliam in domum sceptra deferre possit, nec tamen fit, ut qui domi & in moribus populi nati,* re-

rejiciantur; ne sic forsan minor imperantium paretur securitas & offensarum in populum detur occasio, si alienæ Domus ad purpuram quærantur Principes, post habitis, qui in aliquam sceptrorum spem domi sunt nati; prudenter sanè. In eundem sensum loquitur quoque *Paulus Piasecius Chron. p. 71. more antiquo receptum esse, quantumvis liberè eligeretur Rex, Regi defuncto proximos sangvine, & præsertim ejus fratres non præteriri.* Hac verò ratione tumultus, qui Interregni tempore metum subditis incutere possunt, removentur: Dum filii quoque Regum per Electionem ad Regni habenas admittuntur, dico per Electionem. Neque enim temere in nostrâ historia reperias, Regem aliquem obtinuisse, ut sibi vivo adhuc successor filius designaretur; nisi excipias exemplum Vladislai Jagellonis, cui hac in parte indultum est quicquam præter mores Regni, quia Corpori Reipubl.

Po-

Polonicæ insigne membrum Litvaniam adjecerat. Narrat autem *Cromerus l. 19. Histor.* eum omnibus modis laborasse, atque perfecisse feliciter, ut infans Rex declararetur, accepto à Senatoribus per dolum & plerisque Nobilitatis & civitatum conventibus chirographo. Nunquam tamen simile quidquam factum esse legimus. Quin Proceres Poloniæ in Comitiis Varsaviensibus electioni novi Regis post discessum Sigismund. II. destinatis, cum leges antiquas subtrutinam misissent, expressè prohibuerunt, ut narrat *Fredr. p. 80. Reges Polonorum nominare posse, & eligere successorem, aut electionem indicere, vel quemquam alium modum tentare instruendi aut designandi Regis s. successoris vitæ suæ tempore, idque ob eam causam, ut post eorum discessum libera & illæsa electio Statibus & Ordinibus regni semper maneat.* Est sanè præsente Rege novum eligere, non electio,

sed

ſed ſucceſſio potius, & hæreditas. Mancipantur hac ratione vota, quæ libera eſſe debent, ut non qui optimus, ſed qui proximus ſanguine Rex dicatur. Poſt funera eligere, ſola & vera eligenda libertas eſt. Renovarunt poſtea ordines Regni in iisdem Comitiis legem antiquam, *ne Reges hæreditatis titulo uterentur.* Porrò Sigismundus III. Rex coactus eſt honeſtè ab Ordinibus cavere, *nunquam ſe de ſucceſſore Regni tractaturum, inſciâ & non conſentiente Republica Piaſecius p. 118.* Idem narrat *p. 459 Chron.* cum in Comitiis Tomnenſibus anno 1626. mentio eſſet facta à Senatore quodam, *ut in tàm periculoſo Reipubl. Statu Regi ſucceſſorem deſignarent Ordines, exhorruiſſe omnes, & fremitu concitato ad pœnam autorem popoſciſſe.* Quare verò non conducat Regem eligi vivente altero, argumenta plura referri poſſent. Duodecim ſanè rationes propoſuit autor *diſcurſ. polit. de cau-*

ſis malor. Polon. p. 39. ſeq. Eſt verò Electioni liberæ in Polonia benè conſultum, dum vivente adhuc Rege ſucceſſor eligi non poteſt. Porrò non opus eſt nobis lege aliquâ Voconia aut Salicâ, quæ Uxores ab Imperio arceat, cum præter Vendam virginem nulla ad Rempublicam adminiſtrandam admiſſa fuerit Fœmina. Sapit enim non ſolum ſucceſſionem hæreditariam, ſi uxores viro in Regimine ſuccedant, ſed periculo quoque non caret, manibus illis ſceptra committere, quibus fata & natura colum transſcripſerunt. Legibus naturæ inimicum eſſe fœminarum Imperium non dubitavit aſſerere *Bodinus lib. V. de Rep. c. 5.* cum tamen uxores defunctorum Regum Galliæ, ſi filius ſucceſſor gubernaculo per ætatem adhuc impar, jus ſummi Imperii exercere ſoleant, dum adoleverit. Ita Henrico IV. Rege per ſicarium in necem dato, ſtatim Regina Medicea Regni regens

gens dicta est ut testatur *Gramondus lib. 1. Hist. Gall.* Fusè verò contra muliebre imperium disserit *Georg. Buchananus lib. XII. Hist. Scot.* Regnasse tamen apud Scotos fœminas quoque, patet ex illius Historia, præcipuè *lib. 13 p. 484.* ubi refert Reginam viduam Regis Jacobi IV. apud Scotos contra morem patrium nomen summi Imperii habuisse, relictum in testamento. Regum Poloniæ potestas tanta non est, ut possint Regnum per testamentum relinquere successori, nemo enim, quæ ipse non possidet, in alium transferre potest; Reipublicæ competit illa potestas, non Regi. Pauca quoque in historia exterorum hujus per testamentum in Regno successionis exempla reperias; ideoque *Albert, Kranzius lib. 11. Hist. Dan. c. 4.* ut rem novam & ante hac in cognitam notavit in Ungvino, qui per testamentum Regnum Norwegiæ reliquerat. Erant enim apud Ger-

manos Regna non hæreditaria, sed electitia, deferebantur populi voluntate, non Regis arbitrio, non per testamentum. Quà propter injuriam fecit illi *Francisc. Hotomanus l. quæst. Illustr. 1. p. 3.* quando Kranzium absurdè hanc rem, ut novam, notasse perhibet. Fuit sanè res nova; ideoque legimus quædam testamenta populo improbante irrita fuisse: *vid. Hug. Grotius l. 1. de Jur. Bell. & pac. c 3. num. 12. in not.* Sed si nulli adsint liberi Regis, qui per electionem succedant, videndum, quomodo se habent Status Reipubl. Polonicæ. Fatemur spontè, interregnum multas creare posse molestias, si tumultus oriatur inter eligentes, aut in factiones & partes trahantnr. Potest tamen semper extra periculum esse Respublica si observentur remedia illa tempore Interregnorum, quæ post Sigismundum Augustum ad manus sumta sunt. Mortuus erat Sigismundus

dus Augustus, cum multi proci ambibant Rempublicnm; hic ingenti nummorum mole conabatur supprimeɪe vota eligentium, alter emere; ılle minis extorquere, quod sponté debebat consequi, alter spe & promissis parum sibi faventes demulcebat, omnes spe jam devoraverant Poloniã, ut testatur *Hubert. Languelt. ep. 44 45. 51.* Videbatur sanè Respublica nostra inter tot competitores exposita esse grandi periculo, uti reverà erat; sed saluberrimis Procerum consilis omne malum, quod impendere videbatur, remotum est. Refert *Maximil. Fredro p. 9. ad 13. usque*, consilia, quæ tum temporis in effectum felicitèr ducta sunt. Institutus est regni conventus, & quidem generalis, Cautum dein, ne prout audax quisque & potens, in inferiores vi & latrociniis grassaretur. Missi sunt exploratores versus limites regni, ne vicinorum consilia Rempublicã laterent. Fi-

Fines regni undiquaque milite præsidario muniti sunt. Dictus certus militum numerus Capitaneis, quem fortuitis hostium incursionibus paratum haberent. Literæ externorum ad Senatum delatæ. Veritum extraneos in militem conscribere, Cracovia caput regni præsidio & commeatu bellico instructa. Ad omnia altaria supplicationes & præces fusæ sunt. Missi sunt Legati ad exteros de firmandâ pace. Et quæ plura refert *Fredro loc. cit. & Piasecius Chron. p. 64.* Sunt profecto Consilia illa adversus tumultus inter nos & externos commodissima, ideoque si semper adhibeantur, non est quod metuat Inter-Regna Polonia. Illud addendum, quod Scribit *Bodinus lib. VI. de Republ. c. V.* narratum sibi esse in Galliâ à Samoiscio Legato Reip. Pol. pœnas Inter-Regni tempore, quæ à legibus irrogantur, duplicari. Accedit & hoc, quod tempore Interregni penes Ar-

Archi Episcopum Gnesnensem præcipua rerum agendarum autoritas resideat, qui vicem gerit Regis, qui dirigit consilia omnia & Senatum convocat: equestri ordini conventus indicit, & deliberanda proponit. Solet vero omnis Electio duplici modo se habere, ut sit *vel libera*, vel *ad certum nationem restricta & limitata.* Utraque Polonis usitata est. Est libera Electio, quia ab omnibus liberè eligitur Rex: est limitata, quia lege prohibentur Poloni eligere Piastum. s. indigenam. Olim apud Hebræos non nisi ex Israelitarum Stirpe oriundi eligi poterant Reges: apud Polonos nemo Polonus eligi potest, nisi sit Regis filius. Et hæc ratio per aliquot secula felicitèr obtinuit. Tempore Interregni, quod proximè mortem Sigismundi Augusti secutum est, de Rege aliquo incolâ eligendo passim sermo invaluerat, & multi haud vanè inhiabant Regno. (Est enim dominandi libido

bido bolus adeò lautus, quo nec modestissimi quique abstinere possunt.) Ut ab illo ambitu verò summoveretur Piastus, (quo nomine incolam Regem vocabant) egregio effecit & Reip. salutari Consilio Samoiscius, Vir in Patriæ salutem quantus totus natus; quoniam scilicet externorum principum & petitorum Oratoribus absentibus ad dicendas de Rege sententias decurreretur; æquum esse monebat, ut abessent quoque cives, qui Regnum peterent. Ita cum nemo petitorem Regni se palàm fateri ob verecundiam & invidiæ metum auderet, omnis de incola Rege eligendo deliberatio sponte sua concidit. *Fredro.p.101.* Num lex aliqua tum temporis lata fuerit, ne Rex incola eligeretur, Fredro quidem non narrat, *Bodinus* tamen scribit *l. V. de Republ. c.V.* Se à Legatis Polonorum ad Henricum missis in Galliam percepisse, cum Sigismnndo Augusto Re-

ge mortuo controversia inter Regni Optimates orta esset, & quisque spem Regni ad se traheret, *Senatus-Consultum factum esse, ne cuiquam civium ad Regnum via pateret.* Eadem lis orta est, cum Henricus Valesius ad Gallos rediisset, & Proceres Regni Andrejoviæ anno 1592. ad alium eligendum Regem convenissent, respondit autem; ut refert *Piasecius h. anno* Stanislaus Stadrucky, *se vereri, ne tali viâ ad Regiã dignitatem pate facta auriga quoque suus Piastum ageret, & Regnum affectaret.* Et verò periculosum esse Regem incolam eligere, etiam illi videre possunt qui primis saltem labiis degustarunt doctrinam politicam. Hinc *Fredro p. 91.* non dubitat affirmare, *eo usque libertatem Poloniæ duraturam, quoad Rex incola imperaturus non sit.* & *paulò post. p 94. Sumite Reges incolas, tunc uno velut ictu tollitis non superbam æqualitatem, pro ea fastum, ambitionem, paucorum domi-*

natum, vana nobilitatis nomina inducitis. Hic Regis Frater, alter avunculus, ille nepos, speciosa hæc sunt, credite mihi, nomina & tituli. Cum Sigismundus Augustus cum incolà fæmina privatas egerat nuptias inscia Republica, quos motus tunc in Republ. vidistis? quas accepistis his auribus voces? jam alii præjudicium populi inclamabant, alii petebant divortium. Quid verò nobis obstitit, quod insciâ Republica factum foret, (licet illud maximum est) verùm verebamur, ne Rex, qui fœminam incolam duxisset, eo nexu paratis intra Rempublicam è potentioribus quibusvis partium fulcris electionem liberam sub unius domus traheret cultum. Verba prolixa quidem, digna tamen, quæ notentur, quod spirent insignem prudentiam politicam simul & dicendi gravitatem. *Idem Fredro in fragm. polit. c. X.* adeo extra morem esse testatur ex *indigenis civibus Regem eligi, ut fabula loco sit, Regem crean-*

dum se sperare. Paulus tamen Piasecius Chron. p. 59. Polonos propterea vehementèr increpat, *quod invidentiæ vitio maximè invicem exercendo indulgeant in electione Regis, & propterea dignitatem regalem malint ad alienigenam transferre.* Conatur dein probare, *principes alienigenas non esse aptos, quia non possint rectè administrare Rempubl. cujus quidem notitiam nullam habeant: nullo amore duci in Rempublicam, infaustum esse cujuslibet alienigeni principis dominatum.* Hæc ille, Episcopus Præmisliensis, vir ob studium veritatis nemini quidem secundus, non tamen (pace viri) æquè politicè doctus. Desumsit argumenta è *Cominæi lib. VIII. fin.* cujus verba refert, sunt autem illa potius ad Imperia herilia & hæreditaria, quæ populo invito & per vim suscepta sunt, referenda, non ad electitia, quæ populi consensu. Illo casu verum est, vix ullam esse nationem, quæ diu ferat peregrinum imperium, si Tyrannicum sit. Angli sanè, quorum exemplo stabilire conatur sententiam suam Cominæus, olim multas in Gallia provincias possederunt, imò Eduardo III. Rege ipsum Johannem Franciæ Regem captum in Angliam duxerunt, Nonnanujam ejusque Metropolim Rotomagum, in Picardiâ Caletum, Bononiæ Comitatum, Lutetiam Parisiorum, Britanniam, Pictones, Santones, Aquitanniam, Britanniam cum metropoli Burdigala occuparunt de quibus vid. *Polydor. Virgil. lib. 19. & 22. Histor. Anglic. Frossardus. l. 1. Hist.* omnia tamen perdiderunt intra tres annos arte primùm & instinctu puellæ cujusdam rusticæ, dictæ dein Aurelianensis. Quæ an cœlitus missa fuerit ad liberandam Aureliam, quam tunc acerrimè oppugnabant Angli: an verò magicis artibus urbem defenderit, non hujus loci est disputare. Angli sanè captam non dubitarunt

tarunt flammis ultricibus tradere. V. *Polyd. Virgil. l. 22. Hist. Angl.* qui latè illam historiam refert. Verum tamen hoc est, erectum fuisse hoc exemplo Gallis animum; ut postea omnia sub Carolo VII. Rege recuperaverint, expugnata primùm anno M. CD. LI. triplici exercitu Normannia & Rhotomago, Aquitanniâ & Burdigala præter Caletum Picardiæ. de quâ re *Polyd. Virgil. lib. 23. Hist. Angl.* & *Joh. de Bussier. l. 12. Hist. Franc. c. 30.* Si causam scisciteris, quare Angli tàmbrevi spatio totâ ferè Gallia ejecti fuerint, ea sanè non est, quia peregrini fuerunt; Sed quod Henricus VI. Angliæ Rex domi civilibus bellis detinebatur, adeoque discordiâ laborabat Anglia. Accedebat, quod nuper Scoti duobus prœliis victores ad viginti quatuor millia Anglorum trucidaverant. Non poterat Rex Anglis in Galliâ hærentibus succurrere, & Gallorum victoriis remoram injicere, quibus omnia

omnia ad bellum erant integra & parata. Itaque hac occasione usi Franci facilè amissas provincias recuperare potuerunt. Eadem ratione non licet argumentari, quod Galli ideo Siciliæ imperio exciderint, quia erant peregrini; sed quod Præfecti, quibꝰ administrandam dederat Carolus Siciliam, immani avaritia & rapinis Siculos premerent, turpi & promiscuâ libidine virgines uxorèsque ad stupra raperent. Non tulit æquo animo hoc scelus Johannes Prochyta, cujus uxor adulteros quoque amplexus passa erat; itaque vindicandæ tam àtroci intentus injuriæ cum Petro Arragoniæ Rege conspiravit, & autor fuit Vesperarum Sicularum, infelicis Gallis proverbii. *Vid. Thom. Fazellus in hist. Sicul.* & *Joh. de Bussier. l. 9. Hist. Franc. c. X.* Deduxi hæc aliquanto prolixiùs, quo clarius, quid de sententia Piasecii tenendum, appareret. Nec valet consequentia, Rex Rempubli-

publicam illam regere non potest, cujus nullam habet notitiam; potest enim brevi tempore Statum addiscere; interea regimen fidis committere hominibus, quibus nota magis Respuplica. Egregiè huc facit Oratio Johannis Monlucii Legati Henrici Valesii in Polonia, quæ extat apud *Maximil. Fredro p. 50. 51. seq.* Argumentum secundum & tertium universaliter vera non sunt, & potius contrarium demonstrarunt Reges nostri Vladislaus Jagello & Sigismundus Augustus, sub hujus regimine Livonia; sub illius fascibus Litvania cum Samogitia Poloniæ unita est æterno fœdere. Quàm fortitèr Stephanus Batorius Transylvanus bellum adversus Moscos gesserit, testatur inprimis Reinoldi Heidensteinii historia, lectu digna. Unus tantū Henricus Valesius amorē Regni Poloniæ patriæ postposuit; fortassis ideò excusandus, quod tractus dulcedine illa, quâ natale solum cun-

ctos ad se rapere dicitur, patrias majus duxerit moderari habenas. Felix, si extra patriam vivere potuisset, cujus amori debet, quod purpuram suo tinxerit sanguine, & effusis parricidali cultro visceribus multos in Christiano orbe fecerit haruspices. Rectè Episcopus Posnariensis apud *Fredro. p. 123. seqv.* in oratione ad Henricum Valesium, *Consessurus es in eo solio, quod non novit huc usque, nec veretur Sicarium, in eo, in quo nusquam captivi sedêre Reges*, argumentum sanè ingenui amoris. Occubuisset sanè meliori fato, & morte, quam natura, & Deus naturæ autor, cunctis hominibus imposuit, non quam sicaria manus violentam inferre solet, si illa sede regali, in quam à Deo missus, & à Polonis vocatus erat, contentus fuisset. *Illam enim laudem encomiis suis Sarmaticus candor adjerit*, ut elegantèr & rectè ait *Albertus Ines part. 2. Lechiad. in Henr. Vales. quod etsi aliquos Regum,*

 quos

quos ipsa impietas proscripserat, è solio ejecimus, nullum tamen de vita. Ita *Frideric. à Marselaer l. 1. de Legato. c. 29. Polonos Regibus semel sumtis semper fidos esse*, ingenuè testatus est. Sed ne incepto longius abeamus, hoc saltem addendum necesse judicamus; multa quidem argumenta contra exterorum Imperia corrasisse *Förstnerum in not. ad Tacit. annal. l. 2. in princ.* quæ tamen parùm ad rem faciunt, multo minus expectationi tanti respondent Politici viri. Miror sanè, & meritò, non alia ratione Polonorum politicam, qua ad imperium exteros vocare solent, tueri illum potuisse, quàm *quod mediocris potentiæ & exiguarum virium dynastas principes sibi eligere soleant:* refellit sanè hanc rationē saltem si nihil aliud, ipsa experientia. Stat ergo sententia, Poloniæ non solùm magis co nducere externnm Regem, sed etiam salutem totius reipublicæ in electione externi Regis consiste-

re, si desint defuncti Regis liberi: adeoque hâc in parte rationes Maximil. Fredro longis parasangis antecellunt argumentà Piasecii, quæ è triviali politicorum Scholâ petita, magis in thesi valent, quàm in hypothesi. Quanquam autem Fredro acriter insurgit contra Regem incolam, non usque adeo rigidè tamen huic in hæret sententiæ, ut nullâ conditione admittat Regem domesticum; quin potius concedit, *si successor sceptri nunquam ex eodem stemmate eligeretur, sed novorum semper nominum Rex & sanguinis quæreretur, quo ambiret inter plures familias dignitas regalis, ad extinguendum unius domus ambitum præclusâ spe, aliquo modo Regem incolam admitti posse. Porrò si Regum nati non uterentur principis titulo, avitæ domus stemmate & nominibus contenti, quo redigerentur in ordinem, & condiscerent æqualitatem.* Ibidem *duo*, inquit, *maxima mala ab incola Rege*

expecto, regnatricis familiæ ambitum in præjudicium æqualitatis: tum portentosam nimis potentiam eligendi libertati iniquam. Sunt consilia & cautiones prudentissimæ, quæ tamen in effectum deducere, fortassis esset desperati improbique laboris. Neque dubito, quin illud obtineat in Polonia quoq;, quod Pontifices Romani per aliquot secula observarunt accuratè, scilicet, ut ait *Nic. Machiavellus l. 1. hist. Florent. non in alio quoquam magis laborarunt Pontifices, quâm ut hujusmodi cognatos suos principes relinquant post se, & Pontificia dignitas jure hæreditario ad eosdem devolvatur:* quanquam nunquam diu durarunt isti principatus & dignitates Pontificiorum cognatorum; & videmus hodie quoque illorum bona à successore in fiscum redigi. Rationes in promtu sunt: & cui mens sana, facilè illas animadvertere potest. An etiam in Polonia idem metus, si Regnum ad incolam de-

deferri possit? Et sanè, quia Regi Poloniæ potestas cõstituendi magistratus cõpetit, quis non credat, nobilissima quæque officia & munera consanguineis suis ac proximis Regem incolam daturum; ut tot firmatus haud levibus ob beneficia amicorum præsidiis, eò securiùs & confidentiùs in jura electionis involare, & si Respublica permittat, violare possit, moliri Regnum hæreditarium, suffragia corrumpere, leges diminuere, omnem denique potestatẽ & legum munia ad se paulatim trahere, ferocissimis quibusque aut per aciem & clam cæsis, aut donis in consensum tractis: cæteris, quanto quivis servitio promtiores, opibus atque honoribus elatis. Facit electionem Regni Poloniæ limitatam, quod *Austriacus haud temerè Rex Poloniæ eligatur, aut eligi possit.* Imo in comitiis Warsaviæ anno 1589 propositum est, ne *quis Austriacorum in Regem unquam eligi deberet*: obstiterunt

runt verò huic consilio Clerici, quia timebant, ne exclusis Austriacis hæreticus admitteretur. Grande piaculum, aut periculum! *Piasecius. Chron. p. 87.* Rationes, quare Austriacus post mortem Sigismundi Augusti non fuerit electus, refert *Fredro. p. 83. & Piasecius p. 207.* quod nimis vicinus, & potens esset, metuendum, ne vi & armis tentet, quod clàm non possit, & Regno electionem subtrahere conetùr. Suspectum Austriacorum nomen non tantum propter odium in Slavonicam gentem, sed quod Bohemis Ungarisque electionem liberam eripuerint, & omnes sub æquale jugum miserint: ideoque ait *Piasecius p. 71.* in Comitiis electioni Henrici destinatis palam quemque prudentiorem detestatum esse Austriacorum dominatum. Imo *Fredro* non dubitat profiteri *p. 202.* gravitèr erratum fuisse à Polonis, quod post discessum Ludovici Hungariæ Regis Hungaris

&

& Boëmis ab Austriacis jure eligendi spoliatis auxiliares manus non tulerint: *sed permiserint illos in Austriacæ domus cultum & dominatum abire, & cum Imperialis purpuræ conjungi majestate, ut monstrosam jam in viciniâ non sine pœnitentia erroris unius sanguinis suspiciamus potentiam libero periculosam & vicino gravem.* Quanquam hodiè fundamentum illius potentiæ rimas agit, & ni Deus succurrat, quia malis & ineptis nititur fulcris, ruinam minatur. Potest quoque illud obstare, ne Austriacus ad regni clavum vocetùr, quia majora regno Poloniæ incommoda, quàm emolumenta speranda ex illa electione. Possit hæc ratio latè explicari, nisi rara sit hodie temporum felicitas, ubi sentire, quæ velis & quæ sentias, dicere liceat. Illud saltem non possumus non addere, iisdem obnoxium fore Regnum Poloniæ odiis & inimicitiis, quibus Domus Austriaca laborat. At vero

ro ſtultum eſſet, illa onera & pericula cervici tuæ imponere, quæ vitare poſſis. Libera porrò eſt penes Polonos electio regia. Lex enim eſt inuſitata non ſolùm, ſed incredibilis *ferè, Regem Poloniæ contradicente nemine eligi debere.* Credunt enim Poloni, id eſſe veræ libertatis ſymbolum non Senatoris aut divitis cujuſpiam, non multorum, ſed ſingulorum Nobilium ſuffragiis Regem eligi. At inſtas, impoſſibile eſſe, ut omnes in uno eligendo conſpirent? Concedo, interdum difficultèr admodum ſuffragia unita fuiſſe, at non ſemper. Solent illi, qui ingenio valent & eloquentia, invigilare, ne temerè vota eligentium in partes ſcindantur; ideoque partim precibus & promiſſis omnes omni meliori modo ad ſententiæ concordiam pellicere, nolentes trahere. Eligunt autem per ſuffragia Regem Poloni, non per ſortes; quibus eligere principem ad ſemina diſcordiarum tollenda

lenda eſſe utilius *Bodinus l. VI. de Republ. c. V.* diſputat. Democratiæ & Ariſtocratiæ inſtrumentum opportunum ſortes eſſe judicavit *Lud. Septalius l. IV. de Rat. Stat. c. 6.* Hinc apud Venetos in uſu electio per ſortes; de qua *Contarenus l. 2. de Rep. Venet. & Jannotius. de Republ. Venet. p. 148. ſequ. & Craſſus in not. p. 375.* Apud Helvetios verò Tigurini per tribus ſuffragia ferunt & eligunt Senatores ſuos apertè quidẽ, Scaphuſii verò occultè, ut teſtatur *Joſias Simlerus l. 2. de Rep. Helvet. p. 325.* Romani olim quoq; per tribus aut per Claſſes in comitiis centuriatis eligebant, adeoq; illi reverà pedibꝰ ibant in ſententiam. Poloni per libera ſuffragia omnes & ſinguli eligunt. Quo ordine verò electio fiat, latè omnia tradidit *Piaſecius. Chr. p. 542.* Locus Electionis Warſavia eſſe ſolet in ſubjacẽti cãpo quia multitudini conclave aliquod non ſufficit. Eligunt Nobiles ipſi non per delegatos. *Credunt enim tutius,* ut

ut eleganter *Fredro* loquitur *p. 41. comitiorum negocia Nunciis terrestribus concredi posse, & comitiorum errores facilius corrigi, quam si principem malum elegerint. Conferre magis ad securitatem imperantium & parentium constantiam, si Rex per omnes eligatur: bonum nàmque malumve elegerint, non aliis, sed sibi imputari, & sine murmure quemque laturum.*

CAPUT V.

Quænam sit hodiè Regum Poloniæ potestas.

MUtatam ab illa, quæ olim fuit, Regis Poloniæ potestatem diximus *cap.* 3. nunc quænam illa sit, quâ hodie splendent, ordo exigit, ut dicamus. Ita *vero Cromerus noster l. 2. de Republ. Pol. Nunc sanè angustis finibus potestas Regia in sacrum & equestrem ordinem & utrique subjectos homines & bona circumscripta est.*

est. Ac in sacerdotes quidem jam inde ab initio susceptæ religionis Rex nihil prorsus potuit & juris habet. De Equitis vero famâ & capite non nisi in comitiis cum Senatu judicat, certis aliquot casibus exceptis Senatu autem inconsulto neque bellum cuiquam facit neque fœdus publicè init cumquoquam, neque alienat quicquam de bonis Regni, neque rem ullam majorem ad Rempubl. pertinentem statuit aut facit. Porro leges novas condere, pecuniam extra ordinem publicè imperare, monetam signare, successorem sibi designare ne cum Senatu quidem potest absque consensu cæteræ nobilitatis. Hæc ille, quæ omnia suo inseruit *Commentario Staravolscius.* Paulo leniter de illa Regum potestate *Alexand. Gvaguinus Tom. II. Rer. Polon. p. 60. cum sit potentissimus Rex Poloniæ, tamen secundum leges & Senatus præcepta vivere tenetur, sicq; Regnum amplissimum Regio Imperio; Regia verò majestas & potestas vicissim*

ſim Senatus & Nobilium libertate temperatur. Cromerus negativè docet, quid Rex Poloniæ poſſit, & cui nota ſunt ſummæ poteſtatis requiſita, optimè videt. Gvagnimus valdè obſcurè. Magis Rhetoricè verò quam verè loquitur *Stanislaus Orichovius in Orat. de legibus Poloniæ ad Proceres, quæ ſtatutis Regni à Jacobo Priluſio editis, præfixa eſt, Rex Poloniæ* ait, *nihil aliud eſt, quàm os quoddam Regni Veſtri, vobiſcum conjunctum libero ac legitimo veſtro ſuffragio: ut is prorſus nihil loquatur, nihil agat & moliatur, niſi id, quod ex intimo ſenſu veſtro publicè ſit proſpectum.* Neque aliter *Simon Staravolſcius panegyr. Sigism. III. cum enim nullum aliud præter Poloniæ in Chriſtianitate Regnum ſit, quod principem ſuum magis legibus circumſcriptum habeat.* Poſſit ſanè ex illorum verbis rectè concludi, ergo Rex Poloniæ non majori gaudet poteſtate, quam Dux Venetorum, quod tamen falſiſſimum eſſe,

ſe, ſupra oſtendimus. Hinc narrat *Fredro commeut. de reb. geſt. ſub Henr. Vales. p. 118.* cum Oratores Poloni Pariſiis morarentur ad Henricum Valeſium miſſi, ut Regem Poloniæ ſalutarent, emanaſſe in vulgus Gallicum fama, tam ſtrictas à Polonis leges Henrico ſcribi, non nullos muſſitaſſe, Henricum non Regem, ſed legum Polonicarum mancipium fore, non majori in Republica poteſtate uſurum, quam Principem Venetum. Et *Bodinus ipſe l. 1. de Rep. c. 8.* à juramento quod præſtitit Henricus Regno Poloniæ, argumentatur, *formulam illam non ſapere Regiam Majeſtatē, ſed principis conditionē i. e. in Republ. primi.* Falſa tamen eſt Bodini conjectura, uti non minus, ſi non erraruntur, parum honeſtè atque ſincerè de poteſtate Regiâ Orichovius & Staravolscius loquuti ſunt. Neque enim Rex Poloniæ ſaltem Os Regni eſt, poteſt non ſolùm loqui, ſed facere quoque, quæ

quæ ſunt poteſtatis Regiæ. Non Rex Poloniæ ſaltem ſecundum leges vivere, & Rempublicam adminiſtrare tenetur, ſed Rex Daniæ, Sveciæ quoque, quamvis ſint hæreditarii, non electitii, qualis Rex noſter. Imo ipſe Germanorum Imperator tenetur ſecundum Capitulationes molem Imperii regere. *vid. cap 3.* Solent vulgo quinque requiſita ad ſummam poteſtatem referri, poteſtas legum ferendarum. Poteſtas belli & pacis: vectigalium & tributorum. Jus conſtituendi magiſtratus: denique jus vitæ & necis. Quidnam Rex poſſit ex illis, quid facere prohibeatur ſolus, videbimus. Ita autem *Staravolscius; benè autem ipſe Epiſcopos & Abbates nominat, Palatinos & Caſtellanos, Mareſchallos & Cancellarios, Theſaurarios, Ducesq; militiæ creat; reditꝰ coronæ diſpenſat & præfecturas diſtribuit, comitia indicit, Magiſtratusque omnes & judices eligit. Denique univerſos Reipublicæ honores,*

res, proutilli placet, confert, habetq; in manu omnes modos remunerandi, beneficioque afficiendi quoscunque voluerit. Ergo poteſtas conſtituendi Magiſtratum & judica Regi noſtro competit. Quomodo verò ſe habeat Conſtitutio illa magiſtratuum tàm ſecularium quàm Eccleſiaſticorum *ſequ. cap.* videbimus. Illud *notandum*, Staravolscium non omnia, quæ ſunt juris & poteſtatis Regiæ, clarè ſatis recitaſſe, quæ nos conabimur perſpicuè magis tradere.

CAPUT VI.

De jure conſtituendi Magiſtratus.

QUemadmodum in omni Republica res, quæ ad conſultationem veniunt, aut ſacræ ſunt & Eccleſiaſticæ, aut civiles ac politicæ: ita quoque ſunt Magiſtratus, quibus jus competit de illis rebus judicandi, civiles & ſacri. Dicimus itaque,

Re-

Regem Poloniæ non solùm magistratus civiles, sed sacros quoque pro lubitu constituere. Ita verò *Cromerus l. 2. de Rep. Olim Episcopi ex præscripto sacrorum Canonum à collegiis primariorum sacerdotum, quæ capitula cathedralium Ecclesiarum vulgò dicuntur, legebantur; nunc principes umbratili quâdam electione illis relictâ, aut ne relicta quidem, soli arbitratu suo edunt Episcopum & Pontifici Maximo commendant, ut ejus autoritate approbetùr, præficiatur, & ab aliis Episcopis consecretur.* Idem *Cromerus l. 25. Histor.* vehementèr conqueritur *de vi electioni liberæ capitulorum illatâ, quasi hoc ipso Pontificia dignitas & autoritas debilitata, & umbra electionis penes collegia manserit, non sine gravi modò Ecclesiasticæ autoritatis, verùm etiam religionis & Reipublicæ jacturâ.* Non dubitat deinde satis audactèr profiteri, *præcipuam hujus rei culpam penes ipsos Pontifices Max. fuisse, qui nisi electiones collegiorum primi labefactare aggressi essent, nunquam eò audaciæ Reges pervenissent.* Digna sanè virgulâ censoria Cromeri verba. Falsum est, Reges electione Episcoporum adse tractâ, jacturam aut damnum Reipub. intulisse, aut aliquâ audaciâ usos fuisse, ut potius optimo jure, quo ipsis competit cura sacrorum, si non ministerialis, architectonica tamen, constitutionem Episcoporum sibi vindicaverint; de qua infra videbimus. Saniori judicio *Staravolscius descr. Pol. p. 81. benè autem Episcopos & Abbates Rex nominat.* Cum Monachis Lublinensibus actum esse refert *Cromerus l. 24. Hist. ne Abbatem nisi à Rege constitutum haberent.* Inde *morem hunc adeò altas egisse radices, in cæteris quoque monasteriis totius Poloniæ, ut novi Abbates hodiè assensum Regis omnes requirere necesse habeant.* Non tamen ex pacto tantum, sed ipso jure quoque, quo Rex est, Episcopos & Abbates Rex Poloniæ constituit,

adeoque vincit, ut diximus, ipsos Imperatores Germanorum, qui hodiè nullum Episcopum eligere possunt, quamvis olim. Amiserunt verò jus illud regnante Henrico V. Cæsare, qui, cum esset excommunicandus à Synodo Rhemensi instigante Calixto II. Pontifice, pacis obtinendæ gratia (erant enim tum temporis fulmina Apostolica in majori honore; *jam despexisse, quicquid à supremâ sede emanat, vim animi esse aut etiam privilegium, queritur Petrus Firmian. sec. genio. diss. 2.*) anno 1122. Wormatiæ palàm renunciare potestati, & jure constituendi Episcopos cedere coactus est, ut *Lehmannus l. V. Chron. Spiren. c. 42.* testatur. Res ita eò rediit, ut electio omnis & constitutio Episcoporum à Curiâ Romana dependeret. Donec seculo 14. magnum illud oriretur schisma inter tres Pontifices, *de quo Theodor. à Niem in Histor. Schismat.* & res Ecclesiæ Romanæ ingenti tumultu jactarentur. Cœpit Ger-

maniæ Clerus pristinæ libertati suæ consulere, & Curiæ Romanæ se opponere, perveniente tandem Episcoporum Electione ad Canonicos Cathedrales. Cæsaribus verò nihil remansit, nisi ut hodiè conferant investituram & Regalia Episcopis: electio vero ipsa à Canonicis illis, confirmatio à Curiâ Romana dependeat. Rex Poloniæ solus eligit & constituit Episcopos ac Abbates, confirmatio verò penes Pontificem: perinde atque Rex Hispaniæ jus ab *Hadrian. VI.* Papa Hispano accepit: quod tamen beneficium parum agnoscit *Fern. Vasquius*, quin potius *quæst. illustr. 22, n. 22.* non dubitat apertè dicere, Hispaniæ Regem plenum jus Patronatus & eligendi Episcopos jure majestatis & autoritate regiâ possidere. Rex Galliæ nominat quidem Episcopos; constitutio & confirmatio dependet à Curiâ Romana. Quanquam nuper apparuit, quam parum curet confirmationem Romani Pontificis, ex quo

Ludovicus XIV. Rex Galliæ Petrum de Marca, virum doctissimum, Archiepiscopum Tholosanum constituit, fremente curiâ Romanâ. Non potuit ille in Pontifice confirmationem impetrare, quod libro edito, *de concordiâ Sacerdotii & Imperii* (prodiit *anno 1663.* iter. in fol.) Regiam Autoritatem eleganter vindicavit doctrinâ, quam non admittit Roma: Unde apud Regem & Politicos optimè audiit; malè apud curiam Romanam. Necesse autem est, *ut Episcopi in Poloniâ sint nobili genere nati.* Hinc cum Cardinalis Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis in Polonia plebejo ortus sangvine, nihilominus ad illum Episcopatum curâ Rom. Pontificis promotus esset, Respublica ægrè admodum tulit, quod ad plebejum dignitas Episcopalis delata esset, vicisse postea virtutem Hosii narrat *Fredro. p. 165.* Pergimus ad magistratus seculares, quos *Aristoteles lib. IV. polit. c. XV.* dividit in varias classes. Ratione per-

sonarum, in nobiles & plebejos: ratione temporis, in perpetuos & temporarios; ratione loci, in domesticos, & extraneos. Singulæ magistratuum species in Poloniâ obtinent. *Creat Rex Poloniæ pro lubitu Palatinos & Castellanos, Mareschallos, Cancellarios & Thesaurarios, Ducesq; militiæ. Staravolsc. p. 81. & Cromer. l. 2. de Rep.* Quodnam sit cujusque officium, & quot numero sint, latè uterque descripsit, atque *Stanisl. Kristanoviz in descript. Stat. Regn. Pol.* qui consuli possunt. Restricta tamen est Regis potestas, *quod non possit peregrino munus aliquod tribuere.* Cautum expressè in Conventu Cassoviæ. anno 1374. inter Reges Ludovicum & Ordines Regni Polon. nec extero cuiquam præfecturam arcis aut oppidi conferret. *Cromer. lib. 13. Histor.* Id postea renovatum in Comitiis Jedlinensibus anno 1430. Vladislao Jagellone Rege, ne honores sacri & profani ulli, nisi indigenis mandarentur. *Cromer. lib. 19.*

prohibitum quoque, ut arces & præfecturæ extraneo committerentur. Crediderunt enim Ordines, quod *Buchanan, ait lib. 14. Hist. Scot.* nunquam securè extero alicui & quidem potenti curam munitorum locorum in Regno locari; facilè enim sedem tyrannidi struere, vel etiam ad Regnum occupandum consilia flectere posse. In Comitiis Varsavienſibus denuò lex confirmata est, ne extranei homines ad Regni Officia & honores admoverentur *Fredro. p. 81.* Ita Respublica nostra diligentèr cavit, ne dignitates & honores Regni civibus raperentur, & exteris darentur magno Reipublicæ & incolarum damno. Non nego quidem, exteros æquè aptos esse posse ad officia illa & magistratus gerendos, quàm domesticos & cives. Absurdum verò esset, si quos domi habere potes viros prudentes & ad officia publica administranda natos; foris quæras insigni in Rempublicam injuriâ & præjudicio incolarum. Illud

Illud tamen moribus nostris profligatum est, ut distingvantur Nobiles à se invicim, atque hujus provinciæ Nobiles illius provinciæ Nobilibus magis præferantur, aut penitus ab honoribus excludantur. Usitatum hoc esse Regibus Hispaniæ, testatur hodiè Experientia, qui solos Castellanos Magnates & Nobiles ad honores promovere solent; reliquis exclusis. Hinc Prorex Neapolitanus, Siciliæ & Indiæ plerumque Castellani sunt. Frustrà svasit Philippo III. Regi *Joh. Mariana l 3. de Reg. c. IV.* virum illum carum esse debere cuilibet principi, quicunque virtutes colendas susceperit, atque in eo studio cæteris præstantior evaserit. Nullum honoris genus, nullum præmium negari illi debere, sive Hispanus fuerit, sive Italus, Siculus aut Belga. Apud Polonos distinctio illa præjudiciosa non obtinet, quanquam omnes peregrini ab honoribus Regni arcentur. Contra verò omnibus Polonis sive sint oriundi è

Polonia majori, minori aut Masoviâ, eadem ad honores via patet, omnes ad magistratum gerendum apti censentur, modo virtuti, non vitiis, operam dederint. Cautum porro est in Comitiis Jedlinensibus, anno 1430. ut *Cromerus* testatur *lib. 19. ne præfectus Arcis alicujus sit è Regio aut Ducalio genere oriundus.* Hoc enim est, quod ait *Bodin. l. VI. de rep. c. V. nihil perniciosius esse Reipublicæ, quàm principi regali stirpe orto magnum Imperium militiæ domive tradere.* Narrat *Piasecius Chron. p. 438.* Sigismundum III. Regem Episcopatum Varmiensem filio suo contulisse contra leges Regni, quæ ab hujusmodi dignitatibus & præfecturis arcebat illustri & Regio sangvine natos. Hortatu verò Procerum tulisse Sigismundum in Comitiis Varsaviæ anno 1631. pro Episcopatu illo Varmiensi aliam legem, ut in posterum dignitates similes non nisi indigenis nobilibus, æquali nobilitatis jure gaudentibus conferri de-

berent. Narrat porrò, diplomate Regio Archivo Regni tradito, quo magis consuleretur libertati Nobilitatis, cavisse Regem, ut filius Johannes Albertus princeps Episcopus Varmiensis, ex quo ad ætatem sacerdotio idoneam pervenisset, fidem suam juramento Reipubl. oppignoraret. Ita quoque refert *Nicol. Trigautius c. VI. de Rep. Sinens.* Humvum apud Sinenses legislatorem statuisse, quia olim omnes familiæ Regiæ propinquorum Regiorum vel Regni procerum factionibus imperio excidissent, propterea, quod magnam partem Regni habenas moderarentur, ne quisquam posthac è Regio sangvine ortus publicum deinceps munus attingeret, sive illud urbanum esset, sive militare. Dein *Staravolscius ait p. 87. nec in Senatum quis admitti, aut ad minora subsellia vocari quisquam potest, nisi Romanæ professionis.* Olim id quidem obtinuit tempore Vladislai Jagellonis, sed tempore Stephani Batorii

planè aliud observatum est. Sigismundum III. verò post celebratas eam ob causam aliquoties Antistitum Synodos decrevisse narrat Staravolscius in panegyr. Sigism. III. nequaquam Reipublicæ munera inter hæreticos, sed inter Catholicos tantum viros dividere. Ita vinci posse, qui cœlo, argumentis, veterumque præceptis unam pertinaciam anteponunt, honorum aditu & spe præmiorum Regiorum cautè præclusâ. *Barclajus Argenid. l. 2. c. 3.* Post mortem Sigism. III. anno 1632. Nunciorum Mareschalcus electus est Christophorus Radzivilius, Reformatæ religioni addictus, ut *Piasecius* testis est. *Chron. p. 527.* & in eodem conventu Alexander Trzebinsky oratione pro autoritate fidei Catholicæ habita questus est, quod dissidentes ad commercia civilia, admitterentur, neque à dignitatibus, officiis, consiliis beneficiisque Reipublicæ participandis excluderentur. *Piasec. p. 531.* Quo jure à com-

commercio civili aut honoribus excludi possint, non video, nisi illo, quod dictitant arma. Gaudent sanè omnes eadem libertate Nobiles; neque ille majori pollet autoritate, quia Romanam fidem sequitur, neque iste minori, quia Reformatus aut Lutheranus. Sunt Magistratus porrò temporarii, & perpetui. Quinam magis utiles sint Reipublicæ, latè disquirit *Joh. Bodinus l. IV. de Republ. c. IV.* tandem concludit, interdum præstare magistratus perpetuos; interdum verò non; prout se habeat ratio Reipublicæ, & rectè. Neque enim, quod huic utile est, statim alteri quoque Reipubl. salutare est. Sunt diversæ Rerumpublicarum formæ, ideoque diversa etiam media & instrumenta, quibus regantur, exquirunt. Hac ratione *Aristotel. l. 2. Pol. c. VIII.* Democratiæ præscribit, ne magistratus cuiquam diu concedatur: & Cretenses carpit, quod magistratus eorum non solum non coacti fuerint reddere ra-

rationes, sed quod perpetui essent. Erāt apud Thebanos militaria officia saltem annua ut scribit *Ubbo Emmig descr. Reip. Theb.* Peccarunt Romani, quod toties Julio Cæsari imperium in Gallia prorogarunt, & ansam illi dederunt, ut rebus novis studeret. Augustus Cæsar jussit Consules & Prætores officio functos exacto demum quinquennio in provinciam redire iterum. Tiberius verò res suas spectatissimo cuique, quibusdam ignotis è fama mandavit, semelque assumtos sine modo tenuit, cum plerique iisdem negociis insenescerent: *Tac. lib. 2. annal.* quare id fecerit Tiberius explicarunt *Förstnerus hypomn. polit. p. 61. & Ludov. Septal. p. 61.* Hodiè ad triennium Rex Hispaniæ mittit Pro-Reges in Indiam & Neapolitanum Regnum. Officia quoque militaria interdum ad tempus saltem conceduntur, si Duces belli rem prosperè gerant. Usitatum hoc est Regibus, ut prudentiæ & felicitati suorum ministrorum

strorum invidere soleant. Ferdinandus Catholicus cum videret felicitate Ferdinandi Consalvi subactum Regnum Neapolitanum, & illum multâ apud Incolas gaudere autoritate, spe majorum honorum in Hispaniam vocavit: noluisse enim ait *Saavedra symb. 54.* Regem, ut *obsequiis ejus probata felicitas & fidelitas ultrò objiceretur periculis; si perpetuo in Regno Neapolitano vice Regis fungi persisteret.* Ast alia causa erat. Timebat enim Consalvum, ne veteratorio obsequio privatæ ambitioni magis obsequeretur, & Regnum ad se traheret. Itaque insigni palpo in Hispaniam vocatus deceptum se vidit, & ibi inglorius mortuus est, qui omnem laudem superabat. Rectè ait *Tacitus l. 4. annal. beneficia eò usque læta sunt, dum videntur posse exsolvi: ubi multum antevenêre, pro gratia odium redditur.* Simile occurrit exemplum apud *Machiavellum in Hist. Florent. l. 7.*

l. 7. In Galliâ omnes magistratus perpetui sunt, quin officia militaria venalia in filios quoque transferri solent privatis rescriptis, vivis adhuc parentibus & provinciam possidentibus. Vocant illa rescripta Galli *brevets des Survivances*. Multis verò argumentis dissuadet illam præfectorum provinciarum perpetuam administrationem *Barclajus l. 3. Argen. c. VI.* quæ tamen hodiè in Gallia usu exploduntur. Apud Sinenses magistratus ad triennium constitui narrat *Nic. Trigautius c. 6. de exped. Christ. apud Sinas.* In Poloniâ nostra pleraque officia Regni ad vitam conceduntur, non tamen omnia. Ad vitam concedi solent majora omnia, qualia sunt Palatinorum, Castellanorum & Mareschalcorum &c. Potestas tamen & munus Tribunalitium annum nunquam transgreditur, uti quoque Nunciorum terrestrium autoritas post finita Comitia evanescit. Rectè autem *Sta-*

ravolscius panegyr. Sigism. III. quoniam mos est nobis Sarmatis constituendi Rectores urbium vel provinciarum in eam legem, ut non ante magistratu, quàm vitâ decedant; ea propter in honoribus distribuendis semper magnorum animorum haberi delectum, nec cooptari quenquam in Senatum, aut ad præfecturas mitti, nisi homines fortitudine aut literis notos, & qui publicæ apti prudentiæ, & pares negociis. Prudentèr ad Meleandrum Cleobulus *apud Berclajum in Argen. l. 3. c. 6. sit præsidum genus, quod nec egenum, nec opibus impotens, quod sperare à te plurima, nil extorquere possit.* Illud in Poloniâ notatu dignum, quamvis officia ad vitæ tempus durent, haud temerè tamen exemplum occurrere, quo Nobilis sortis suæ oblitus, majora sperare ausus sit, & Regni fasces ambire: ut potius quilibet spartâ suâ contentus fuerit, qui magistratu fungitur, nec Statum Rei-

Reipubl. mutatum voluerit. Et hodiè potius æqualitati & libertati publicæ magis student, quàm ambitioni seduloque attendunt, ne aureæ æqualitati insidiæ struantur, aut vis inferatur concordiæ Nullo propterea nobis opus fuit Ostracismo, qui virum virtute & fortitudine divitiisque alios antecellentem exilio plectat: cujus exempla refert *Plutarchus in Aristide & Themistocle.* Fuit usitatus apud Athenienses olim modus puniendi homines virtute nimium præditos. Ita Miltiades illórum Dux in carcere vitam infelix ponere coactus est, quam toties pro salute Reipubl. periculo objecerat. Causa nulla alia mortis, quàm rumor virtutum & rerum famam summâ cum laude gestarum. Verebantur Athenienses, ne suis tandem cervicibus jugum imponere cogerentur, quod ille hostibus aptabat. An injustitiâ aliqua laboraverit ille Ostracismus, disputant *Aristoteles. l.3.*

lib. 3. pol. c. 9. Paul. Paruta lib. 1. Dissert. pol. c. ult. & Septalius l. 4. de Rat. Status, c. VI. seqq. Optimum invidiæ remedium communis Omnium æqualitas. Hanc in Poloniâ tanquam scopum attendi, caput ultimum docebit. Addendum denique in Polonia Majori Magistratus oppidanos Regios annuos quoque esse, cum Cracoviæ ad vitam extendi soleant. Constituuntur magistratus illi urbani quotannis à Capitaneo loci vice Regis pro lubitu, & mutantur, præeunte vanâ & in speciem civium electione. Videmus autem, quia officia interdum prorogantur, illum, qui caput & os consilii est, ita solere reliquorum animos seu vi seu crebro conviviorum luxu perinde atque olim Orpheus cantu, & linguas sibi devincire, ut in omnibus, si suffragia ferenda aut sententia dicenda, omnes aut plerosque præcipiti consensu obsequentes habeat; omnia turpi adulatio-

tione & deformi obsequio probent, quæ interdum probanda non erant salvâ conscientia, plerique mussitare ne audeant quidem, quia gratia Ducis excidere nolint. Fit hoc ideo, vel quia rem ipsi non intelligunt, vel, si contradicerent, ne leges amicitiæ violent. Hinc salus aut damnum litigantiū unicè ab illo capite dependet. Illud quoque circa magistratus considerandum est, an scilicet è Republica sit, ut officia venalia sint. Disputat *Bodinus l. VI. de Republ. c. 1,* in utramque sententiam: & expresse concludit, *nullum sordidius, nullum turpius, nullum detestabilius lucrum esse, quàm quod ex honorum & magistratuum mercatura capiat Respublica. & lib. 4. c. 4.* vehementèr execratur illam Gallorum consuetudinem, qua officia omnia absque Reipubl. necessitate venduntur, sine qua illa officiorum nundinatio nequaquam tolerari debeat. Ex iis, quæ in Republicâ aliqua justitiam

tiam destruant & Statum, esse *officia vendere Ludov. Septal. l. 2. de Rat. Stat. c. 16.* monuit. Et Studiosos Politicæ docet, ut pro certo habeant, *illum, qui officia vendit, velle, ut ministri sui fures fiant Thom. Campanella c. 17. Monarch. Hispan.* Nihilominus nihil magis hodie in Gallia obtinet, nullum majus lucrum Regio fisco advenit, quàm ab illis magistratuum venditionibus, quas in Comitiis Galliæ ultimis anno 1614. abrogatas esse *Gramondus lib. 1. Histor. Gall.* refert; at ineunte anno 1615. iterum officiorum forensium & militarium commercia valuisse, ut antea, prævalente apud omnes contemptu legum. Videatur quoque *Thuanus lib. 132. Histor. ad annum 1604.* & *Johann. de Laet descript. Galliæ. p. 276.* Apud Venetos quoque officia venalia esse, sed tempore necessitatis saltem, fatetur *Donat. Jannotius l. de Rep. Venetor. p. 239.* In Polonia pleraque officia gratis à Re-

Rege dantur, non tamen omnia Telonia & præfecturæ ut plurimum vendi solent ad dies vitę, modo tamē diverso. Majora officia nullo pretio, sed virtute acquiruntur. Fortunatū ideo meritò dicitur Regnum Poloniæ, in quo nec ambitioni, nec precibus, & solicitationibus locus est: nec virtus recondita opus habet supplici libello & ingentibus largitionibus, multo minus aliorum relatione, quo perveniat ad aures Principis. Invitos, non ambientes ad Rempublicam collocandos esse monuit Imperator Alexander Severus. Nulli apud nos ejusmodi honorum proci & mercatores. Virtutes sunt, quæ nobiles ad honores evehunt, non pecunia: Vitia sunt, quæ illos ab omnibus officiis excludunt. An verò viri flagitiosi ab omni Reipubl. administratione removendi sunt? Negat hoc *Mariana l. 3. de Reg. c. 3.* cujus tamen sententia planè absurda est & periculosa. *Dicit ad*

ad pacem tuendam nullam æquè Rationem commodiorem esse, quàm si promiscuè ex omnibus eligantur Magistratus: alioqui pravis, quorum tantus est numerus, exclusis penitus, rerum perturbationem existere. Principem non posse singulorum mores scrutari, nec decere Principem in omnes civium reatus inquirere. Experientiam testari, ex tanto præfectorum numero vix paucos inveniri probro vacantes & vitiis. Sunt hæc ejus argumenta scuticâ & igni magis digna, quàm refutatione. Malè sanè consultum Reipublicæ, ubi homines promiscuè nullâ habitâ vitæ, morum virtutisque ratione ad subsellia magistratuum rapiuntur. An ergo nulla ratio super est, quâ pravi homines illi, si tumultum & damnum Reipublicæ moliantur, coërceri possint? An non probi quoque viri ægrè ferrent, si viderent, viris improbis eundem ad honores aditum? an omnis modus Principi ne-

negatur, quo posſit ſubditorum ſuorum notitiam ſibi comparare. Teſtatur *Lampridius in vit. Alex. Severi*. ubi aliquos voluiſſet Rectores provinciis dare, nomina eorum propoſuiſſe publicè, hortatumque populum, ut ſi ſcirent laborare vitiis præfectum, id probarent manifeſtis rebus. Alii Principes aliis uſi ſunt mediis, quibus Miniſtrorum vitam & mores expiſcarentur. Rectius *Saavedra Symb. 52. munera Reipubl. in hominem improbum deferre, eſſe optimo cuiq; adimere animum & vires, roburq; malitiæ addere.* Ut enim omnes pejores ſimus licentia; ita ſi Sceleratis Officia quoque dentur, quid hoc eſt aliud, quàm nequitiæ illiberali facinore opitulari, & calcar addere. Denique non eſt exemplis, ſed rationibus pugnandum. Ita videmus in Aula Hiſpanicâ Clericos quoque ad munia publica & Conſilia vocari; an ergo id omnibus aulis faciendum eſt? Diſputat *Saa-*

avedra Symb. Pol. 30. latè, an Clericis civilia negocia obire liceat, & Reipubl. conducat? Negat in genere *proficua eſſe poſſe Clericorum Conſilia Reipubl. quia ſecuritati non rectè conſulatur, quod magis ab obedientia Superiorum dependeant: quia puniri non poſſint, ſi peccent; quia candida eorum ſimplicitas artibus illis politicis inficiatur.* Sunt argumenta per quam abſurda. *Videbimus c. VII. in fin.* an Clerici, ſi peccent, puniri non poſſint? Concedit tamen, Confeſſarium Regis intereſſe debere negociis & Conſiliis publicis, & hunc morem in Hiſpania obſervari tradit *Symb. LV.* Ferdinandus autem Catholicus non ſolùm Confeſſarium, ſed Monachos quoque adhibuit in rebus politicis; Legationibus præfecit turpi parſimonia, quo ſumtibus parceret. Eadem in genere teſtatur *Cominæus l. V. de bell. Neapol.* Hiſpanis ſolitum eſſe, Monachis uti in Legationibus: ne pecuniam in pompam impendere

re cogantur. Maximè tamen Jesuitis patuit ad Consilia aditus. Hinc Legati illius proverbium, *un Espagnol sans un Jesuite est une perdrix sans orangl. nec Hispanus sine Jesuitâ, nec perdix sine malo aureo sapit.* Præstaret autem, quanta etiam, si aliqua possunt, commoda sperare liceat Reipubl. à Consiliis Clericorum politicis, nihilominus omnes excludere à negociis secularibus, quibus neminem militantem Christo se implicare debere monuit *Paulus ad Rom. c. XII. v. 7.* Videmus quoque, Confessarios plerumque in animos Principum irrepere totos, & si semel admissi fuerint, usque adeo ad nutum suum prætextu & specie Religionis, flectere, ut ducant, quo velint Regem, nec faciant illi, quæ nolint illa aulæ ulcera. Utinam ut exemplum allegetur non sit necesse Polonia nostra, quæ anno 1616. sub Sigismundo III. Rege graviter hoc morbo laboravit. Ita enim *Piasecius in Chron.*

Chr. sub an. cit. fin. loquitur sincerè & graviter, *decessit cubiculi Regii Præfectus Andreas Bobola, octoagenarius, homo rudis, morosus, promotus ad officiū patrocinio Societatis Jesu, quod illi in omnibus consentiret. Unde utrique conjunctâ opera in privatis colloquiis, quæ ipsis semper patebant, solicitantes, Regem adeo constrinxerant, ut omnia ipsorum consiliis ageret, & aulicorum spes & curæ nonnisi ab eorum favore dependerent. Quin & in publicis negociis isti suggerebant, quid Rex decerneret, tanto majori Reipubl. damno & periculo, quod ad hujusmodi familiaritatem Regis assumerentur (præter Confessarium & Concionatorem) è Scholis vel à Magisterio novitiorum Religiosorum, Magisteruli, rerum & Status Poloniæ prorsus expertes. Hacque unica causa fuit,* addit, *errorum non in domesticis solùm, sed in publicis quoque, Moschicis, Svecicis,*

Livonicisque Regis rationibus: & „ *tamen, penè sacrilegii crimen repu-* „ *tabatur, si quis eorum dicta factaq;* „ *reprehendisset.* Hæc graviter *Piasecius.* Conferuntur, quæ ad annum 1621. refert *de Jesuitis Piasecius.* Exempla planè infelicia Reipubl. Poloniæ, & quæ aliquando, prohibeat Deus! interitum procreare valeant, si porrò illis Sociis aures præbeantur. Tandem excusso per tot clades & amissarum provinciarum jacturam somno serò nimis sapimus Phryges. Monet *Campanella* Regem suum *in Monarch. Hispan. c. VI. ut non solum in Omnia suprema sua Consilia duos aut tres Jesuitas coopter; sed ut in omnibus bellis singuli Capitanei singulos Clericos Consiliarios habeant:* quod ineptum Consilium tentet Rex Hispaniæ suo periculo; nulli sanè cordatiori & qui prudentiam politicam perfunctoriè saltem libavit, illud placebit. Jesuitas studio quodam Religionis ductos Sebastia-

bastianum Lusitaniæ Regem ad expeditiones Mauricanam hortatos esse testatur *Hieron. Conestagius l. 1. de Portugall. cum Castell. conjunct. p. 31.* Sed miser im prælio trucidatus, docuit non solùm, nimium illum in bello ardorem, uti magni plerumque ingenii indicium est, ita nisi rationi pareat, sæpè infelicis esse; & bella quoque non necessaria raro felices sequi exitus. Debet hanc cladem Lusitania Jesuitis, eorumque consiliis. Interim tamen hanc tempestatem, quamvis sentiant aulæ, interdum tamen gravi socordià sentire nolunt. Imo quod magis vituperio dignum, non solum res civiles ad illorum Consilia administrantur, sed Principum qnoque Juvenum informationem ad se trahere solent: quibus tamen raro peritiam Regnandi (quia illam ipsi nesciunt) veram instillant, ut potius ætatem juvenilem in nugis puerilibus & Principi parùm proficuis distineant,

 quo

quo ipsi dein adulto & rerum omnium ignaro eo promtius imperare possint. Observavit hoc stratagema *Alphonsus de Vargas de Stratagem. Jesuit. c. 7. & 8. & Mariana quoque in præfat. lib. de Rege & Reg. institut.* laudat disputationes impudentèr, quas Philippus III. sub Garsia Aloysio Rectore Philippi ad D. Laurentii monasterium *de arte Grammatica* habuerat. Dii Deæq; perdant illos magones & juventutis corruptores! Sincerius svasit *Thom. Campanell. c. 9. Mon. Hisp.*, ut princeps habeat ministros pios, Episcopos & Capitaneos rei militaris usu insignes, facundos itidem, quod illum in dicendi studio exerceant, *loquentes de legibus potius, quàm de gerris Grammaticalibus.* Sunt sanè exempla illa quasi chartæ nauticæ, in quibus brevia deteguntur & syrtes, fallacesque scopuli. Fugite hinc Principes, qui Reip. vestræ salutem promovere desideratis, & aures

res tanquam alteri Ulysses cerâ rationis obducite ad cantus Sirenum illarum aulicarum, quorum initium svavis, ast finis tragicus esse solet.

CAPUT VII.

De Jure & Judiciis Regni Poloniæ.

TRes primarias Reipubl. partes constituere Senatum, Magistratum & Judicia docet *Aristotel. l. V. pol. c. XIII. l. 6. c. 8.* De illis jam diximus. Hoc capite de Judiciis sermo noster erit. Observandum autem est, Polonos olim, ut reliqui populi Septentrionales, nullas habuisse leges scriptas, sed ab origine Imperii Regii jus omne in Principis arbitrio stetisse. Erat autem jus illud simplicissimum, ut ait *Cromerus. l. 3. Histor. nec summo jure disceptabatur, sed ex æquo & bono, aut armis non nunquam & singulari certamine dirimebantur privatorum contro-*

troversiæ. Lex erat, inquit *Alexand. Guaguinus in Sarmat. Europ. p. 29. antiquis Sarmatis, causas omnes & controversias publico in loco Marte judice armis discernere.* Tempore dein duodecim Palatinorum leges paucissimæ & simplicissimæ, ut rude illud ferebat seculum, non in libros aut tabulas, sed in animos hominum inserebantur. *Cromer. l. 2. Hist.* Ita olim Lycurgus, cum constitueret Rempublicum Lacedæmoniorum, in Rhetris caverat, ne ullæ civibus scriptæ ponerentur leges. Judicabat enim ea, quæ ad felicitatem civitatis & virtutem omnium maximum adferrent momentum, ita demum manere immobilia, si moribus & educationi civium implantarentur. *Plutarch. in Lycurgo.* Postea judicandi potestas data est Palatinis, qui provinciis singulis, quibus præerant, jus dicebant, pro lubitu verò & ex æquo. Tandem jus Saxonicum in Polonia quoque vigere

cœpit, suscepta à Regibus nostris fide & religione Christianâ. Quo tempore verò & sub quo Rege jus illud introductum fuerit in forum, non equidem certò constat. Testatur *Cromer. l. 9. Histor.* Boleslaum Pudicum civitati Cracoviensi indulsisse, quo uteretur jure Saxonico, *quod pleraque oppida & vici in Polonia observabant. Si hoc verum est,* jam ante tempora Boleslai jus illud in usu fuit apud Polonos. Judicat tamen *Conringius l. de orgin. jur. Germ. c. 31.* verisimilius esse, à Lescone Nigro, successore Boleslai Pudici, primùm admissas fuisse leges Saxonicas. Nihil verò de hac introductione Cromerus. *l. c.* nisi quod scribit, regimen urbis Cracoviæ Teutonibus mandatum fuisse, quod eam virtute suâ servassent. *Simon Staravolscius. p. 79. descript. Polon.* Casimirum M. demum leges illas jussisse in Polonia observari innuit. Quicquid sit, certum est, jam ante

tempora Casimiri M. floruisse in Polonico foro Saxonum placita & leges. Primus verò Casimirus provocationes ad tribunal Magdeburgense sustulit. Solébant enim Poloni non sine quodam legum Regumque Poloniæ dedecore & ignominiâ appellare extra Regnum magno sumtu ad tribunal Magdeburgense. Vidit hunc abusum primus Casimirus, ideoque lege prohibita ad exteros provocatione constituit aliud tribunal in arce Cracoviensi supremum & provinciale, ad quod omnem Poloniam ab inferioribus judiciis appellare jussit. *Cromer. l. 12. Histor. Matth. à Michovia lib. 4. Chron. c. 19.* Factum est anno M CCC LVI. post natum Christum, ut testatur *Nicol. Jaskierius in gloss. marginal. ad jus Weichbild.* Errat verò *Arturus Duck*, quando *l. 2. de autor. jur. civil. in dom. Christian. c. XI. n. VI.* anno M CCCC XII. Casimirum appellationes prohibuisse refert ad curiam

riam Magdeburg. Post sublatas itaque appellationes, & constitutum in arce Cracoviensi judicium supremum juris Saxonici S. Magdeburgensis, idem Casimirus M. primus leges scriptas Nobilibus dedit in Comitiis Vislicienfibus, quibus Palatinorum & judicum potestati, quæ huc usque infinita fuerat, frænum injecit, & jussit illos, non secundum mores aut voluntatem suam, sed jus scriptum lites civium dijudicare, *Cromer. lib. 12. Histor.* Mansit pristinus vigor atque honor juri Saxonico, nisi quod Alexander Rex persuasu summi Pontificis Romani reprobavit articulos quatuordecim juris illius, quos juri naturali & divino contradicere, adeoque execrabiles esse & impios pronunciaverat Pontifex. Referuntur autem illi articuli in Statutis Regni Poloniæ, quos inter eminet, *Pontificem Romanum non posse excommunicare Imperatorem & Reges, exceptis aliquot casibus,* si

si sit dubius in fide, & aliis. An hic articulus contradicat juri naturali & divino, fortasſis nec Argus alter videat. Neſcit illam poteſtatem jus naturale, neque divinum quicquam de illâ meminit. Olim id quidem ſuperſtitiosè creditum; hodiè verò in Gallia ſervi publici manu in ignem dantur ejusmodi libri, qui tàm periculoſam ſaluti Regum ſententiam fovent. Sincerè ergo & rectè quoque de illis articulis diſputavit *Jacobus Priluſius in not. ad ſtatut. Regni Polon. l. 1. artic. 3. c. 16. ſect. 16.* quanquam propterea in cenſuram incidit. Succeſſores Caſimiri deinde leges novas addiderunt, conſenſu Senatorum & Nobilium, & Vladislaus Jagello in ſtatuto ſuo *anno M CCCC XXIII.* edito, mandavit, ne ſententias judices ferant ſecundum alias conſuetudines, prætes eas, quæ à Caſimiro editæ ſunt. *in cap. de Nobilit. Statut. tit. 3.* Extremis v. temporibus Sigiſmundi Senioris & re-

regnante Filio ait *Cromer. l. 2. de Rep.* exarſit & longius progreſſa eſt libido legum novarum condendarum & veterum mutandarum. Adepti ſunt Nobiles in primis jus ſuum peculiare tàm ad regimen politicum, quàm ad privatorum cauſas dijudicandas pertinens à Regibus, qui poſt Caſimirum M. usque ad ætatem Sigiſmundi Auguſti regnarunt. Hujus & anteceſſoris Sigiſmundi I. tempore plures leges promulgatæ ſunt ſub nomine *Statutorum Regni*, quæ dein Sigiſmundi Auguſti juſſu congeſta atque edita ſunt anno Domini MDXX per *Johannem Herburtum*, Senatorem. A longo autem uſu Reges Poloniæ ipſi judiciis præſidebant, & ſuffragia lata examinabant, non eo tamen modo, quo Reges Hiſpaniæ. Narrat enim *Didacus Saavedra ſymb. polit. LVII.* Reges illos non quidem judiciis & ſuffragiis ferendis intereſſe, ſed in conclavi, quo judicia à Conſiliariis ex-

exercentur, per fenestram secretò attendere, & singulorum judicum sententias tristi observare silentio. Eadem de Imperatoribus Turcarum *Johann. Baptist. Montalban. comm. rer. Turc. p.5.* Reges Poloniæ nostri ipsi olim judicia frequentare, subditorum querelas audire, lites definire solebant. Id autem non sine gravi Regum molestia accidebat, qúod & publicis invigilare rebus, & privatis interesse quoque negotiis tenebantur: itaque haud raro fiebat, ut aliis haud levibus curis occupati interdum reddendo juri æquè vacare non possent. Unde Henricus Rex Valesius tanti pertæsus laboris dixisse fertur, *narrante Piasecio. p. 43. Chron. per meam fidem, Poloni faciunt, ut agam Judicem legis peritum, brevi volent, ut etiam agam Causidicum.* Ut Rex ergo liberaretur aliquantum hoc onere, & Nobiles quoque libertati suæ & justitiæ melius consulerent, demum Ste-

Stephani Regis tempore in *Comitiis Varsaviæ* anno 1578. celebratis adsciti laborum socii, & ea judiciorum forma inventa est, quæ alibi *Parlamentum*, apud Polonos *Tribunalis* nomen invenit. Locus illi Tribunali dictus est Petricovia & Lublinum, de quibus latè *Demetrius Sulicovius comment. Rer. Polon p. 102. seqv.* Potestatem illius, tempus, & numerum personarum, quales sint accuratè descripsit *Staravolscius & Piasecius p. 78.* Notandum autem est, quod hic Magistratus tantum sit annuus, & electus non nisi infra quadriennium denuo eligi possit: perinde atque Augustus olim Cæsar peracto quinquennio provincias adire iterum permittebat. Jurant judices illi, qui pro Tribunali sedent, quatenus officium illud precibus aut donis non ambiverint, neque pro ratione personæ & quantitate munerum administraturi sint justitiam. Ne verò lites nimis pro-

 tra-

trahantur, constitutum est, ut major pars concluderet. Addita decretis Tribunalis tanta autoritas, quanta gaudent ipsæ Constitutiones Comitiorum. Videantur plura de illo Tribunali apud *Stanisl. Lochocosky in Regul. jur. Pol. voce Tribunal.* Affirmat *Piasecius p. 51. Chron.* Tribunal illud Regni generale planè conforme esse Parlamento Parisiensi, præter quod ibi judices constituun- perpetui, hic vero annui saltem, ne forte efferantur tanti magistratus potestate. Non tamen in omnibus comparatio illa se rectè habet, quin plura sunt, quibus à se invicem distinguuntur. Parlamentum Parisiense olim jurisdictionem suam non solum in rebus privatis, sed publicis maximè exercuit, de quo videatur *Gramondus l. V. Hist. Gall.* & reliqui Gallorum Historici, quænam verò hodie sit potestas illius Parlamenti tradunt *Johann. de Laët. de script. Galliæ p. 212. sequ. Hippol. à La-*

Lapide. part. 1. Rat. Stat. c. 4. sect. 2. Scilicet Reges Galliæ omnes potestatis Regiæ actus ad se traxerunt: res verò privatæ jurisdictioni Parlamenti demandatæ sunt, ut idem apparet *apud. Gramondum l. 2. p. 114. & lib. cit. p. 281.* Tribunal Regni Poloniæ neque olim neque hodie quicquam potuit circa res publicas; sed propter lites privatorum saltem institutum est, ut vice Regis ipsius illas examinaret & decideret. Plura sunt, quæ differentiam illorum judiciorum ostendere queant, sed, quia aliena, desisto. Pergendum verò est in historia juris nostri. Quæ porrò post excessum Sigismundi Augusti à Rege, Senatu, Nobilibusque Regni Polon. latæ sunt leges, dictæ sunt *Constitutiones Regni*, ut apud Germanos sunt *Recessus Imperii.* Obligant autem illæ Constitutiones & Statuta Regni omnes Poloniæ cives, quales sunt Nobiles, & quatenus res concernunt publicas: quan-

quanquam, quod privatas attinet lites & controversias, peculiaria sua Statuta observant Litvania, & Volhynia; quæ Sigismundus III. Rex æmulatus Magnum Justinianum per Leonem Sapieham supremum tunc illius provinciæ Cancellariũ in multis corrigi curavit, & multa addi. Volhyniæ quoque consvetudines emendavit, multasque ambiguas in aliis Regni provinciis juris quæstiones partim definivit, partim jus novum ex usu publico constituit, ut testatur *Staravolscius panegyr. Sigism. III.* Prussia verò Ducalis & Regalis olim jure Culmensi paritèr usa est; donec Marchio Brandeburgicus anno M. DC XX. jus novum pro Ducatu Prussiæ componi curavit, accedens proximè jus Romanum Saxonicum & Culmense. Provocationès quoque, quæ à Regiomontanâ curia ad Tribunalia Poloniæ dirigebantur, hodiè per pacem Olivensem sublatæ sunt. Ex iis ita-

itaque, quæ diximus, apparet, quænam jura in Polonia locum obtineant. Sunt illa *Statuta Regni Poloniæ, jus Saxonicum, s. Magdeburgense. Constitutiones Regni & alia jura provincialia statutaria.* His accessit *Jus Canonicum & Concilium Tridentinum.* Illud in Polonia, ut in aliis Regnis ob insignem utilitatem & necessitatem quoque in foro in totum observatur. Hoc verò receptum est altero, postquam finierat anno, opera in primis Stanislai Hosii Cardinalis, ut testatur *Piasecius. Chron. p. 247.* Num rectè Respublica egerit, meum non est disputare. Narrat expressè Piasecius, propterea magnos ortos esse tumultus inter Nobiles. Decretis illius Concilii Rex Galliæ olim Henricus II. neque se, neque quenquam Regni sui teneri posse & velle affirmavit, ut refert *Johann. Sleidanus l. 22. comment.* Ludovico dein XIII. Rege, quanquam Cardinalis Perronius omnem

omnem movebat lapidem, ut persvaderet receptionem Concilii Tridentini, actum tamen egit, licet clausula illa molliendæ invidiæ adjecta, *sine præjudicio jurium coronæ Regiæ, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, privilegiorum aut exemtionum. V. Gramondus l. 2. Hist. Galliæ. Jus* denique *civile Romanum* num vim legis habeat in Polonia, aut habere debeat, quæstio est. Et verò legis vim obtinere, probare quidem conatur *Arturus Duck l. de autorit. jur. civil. in domin. Christian. l. 2. c. XI n. 9.* argumenta verò nulla, aut levia profert. Fatemur, aliquem honorem dari juri Romano in Polonia, sed illum tamen, qualem reliqui populi Septentrionales, ad quos Romanorum Imperium se non extendit. Neque crediderunt Poloni temerè, jus illud Romanum esse tantæ æquitatis, ut, quod huic convenit, ubivis salutare, quicquid dissidet, iniquum sit & noxium. Non crediderunt unquam, jus

jus illud tantæ perfectionis esse, ut illi neque quicquam addi, neque demi quicquam possit absque publico damno; ad illud omne aliud jus tanquam ad cynosuram examinandum, neque aliud recipi necessarium esse in Republicâ, præter Romanum, quia omnibus Rerumpublicarum formis regendis aptum. Observavit hunc deformem JCtorum errorem, & doctè quoque refutavit *Herm. Conringius l. de civil. prudent. c. 14. & differt. de vanâ & vera Jurisprud. p. 131. & alibi.* Satis sc. illi insaniæ confutandæ sufficere communem omnium gentium, omnium Rerumpublicarum, omnium denique seculorum ab hoc placito dissensum. Fieri non posse, ut eædem leges utiles sint Oligarchiæ & Democratiis omnibus, in Politicis olim Aristoteles monuit *l. 3. polit. c. II.* & leges ad Rempublicam accommodandas esse, non Rempublicam ad leges. Quid ipsi Angli de jure civili

vili sentiant, ex hoc patet, quod *Arturus Duck. l. c. 2. c. 8. p. 3, n. 32.* ipse expressè dicit, *mihi satis indicasse jus civile apud Anglos aliquando in honore & pretio fuisse*: cum tamen nullam aliam ob causam librum illum ediderit, quàm ut usum juris illius Angliæ persuaderet, quod huc usque à tempore Romanorum respuit. Id, testatur *l. 2. c. XIII. c. 14.* apud Suecos & Danos pauca legum Romanarum extare indicia, quia Romani nunquam in Suecorum Gothorumque terras penetrarunt, ut testatur *Bertius lib. 12. Germ. c. 16.* Hinc apud ipsos integra omnia atque incorrupta sunt. Observant Dani peculiaria Statuta & leges, quas Valdemirus Danorum Rex anno M CC XXXII. primus colligi jussit, easque una cum legibus Cimbricis composuit & auxit, de quibus *Isaac. Pontanus Histor. Dan. l. 6. Joh. Meursius. l. V. Hist. Dan.* Suecorum leges provinciales à Regni Senatu & peritis le-

legum recenseri & emendari fecit Rex Suecorum Christophorus, quas autoritate suâ stabilitas deinceps publicavit anno Domini MCD XLII. ut testatur *Johann. Loccenius lib. 3. Histor. Suec.* & latius *in antiquit. Sueco-Gothicis l. 2. c. V.* Codex ille legum dein anno M D. LXXXI. Latinè versus è sermone patrio, & editus Stockholm, per Johannem Messenium anno 1614. referente *Andreâ Burco descript, Reipubl. Suecic. Hist. l. 1. c. 3.* Quin Reges Galliæ noluisse subditos suos Romanis obligari legibus testis est, *Bodinus l. 1. de Republ. c. 8.* Voluisse quidem, Romanorum leges ac jura Pontificia publice doceri, at subditos illis obligari pohibuisse, ne peregrinorum hominum legibus patricio juri derogaretur. Eadem de Hispaniæ Regibus refert *Bodinus l. c. & Didac. quoque Saavedra Symb. Pol. 21.* Principem Hispaniæ non dubitat monere, ut relicto jure Romanorum civili,

li, legibus patriis non minus prudentibus & doctis, quàm justis uteretur. Ferdinandum Regem & Joannam, uti & Regem Alaricum graves intentaſſe pœnas Judicibus, ſi allegationes legum Romanarum admitterent. Docet ibidem egregiè *Saavedra*, qua ratione commodè jus civile Romanum ex Hiſpaniâ ejici, & lites civium egregio fructu tolli aut minui posſint. Apparet itaque non ſolùm populos Septentrionales, ſed Occidentales quoque, Juſtinianeas leges vel univerſales non admiſiſſe, vel planè nullas; & potius patrias ſecundum conſuetudines jus dixiſſe atque adhuc hodiè dicere. In Polonia obſervatur quidem jus Romanum, ſed quatenus autoritatem aliqualem rei judicatæ addit, non legem. Non enim convenit formæ Reipublicæ noſtræ jus illud, quod ſtante Cæſareo Romanorum imperio fulcimen fuit Monarchiæ herilis, qualem nullam Poloni apud nos

nos agnoſcimus, nec toleramus. Rectè hoc ſenſu dixit *Stanislaus Orichovius. Orat. funebr. Sigiſm. Augusti. leges civiles, ſi quis preſſo pede illis inſiſtere velit, tanquam carmina ſervitutis Romanæ ejiciendas è Republica eſſe.* Dein cum ſalus civium primariò quæratur in Polonia, multò minus jus illud aptum eſſe poteſt foro Polonico; quia potius impedit ſalutem civium, quàm promovet. Januam enim litibus aperit ac controverſiis movendis & dilatandis. At verò nulla res magis civium animos diſtrahit alienosque reddit, nulla magis civium opes viresque enervat, quàm illa non ſolum litium innumera multitudo; ſed damnoſa planè & immanis dilatio. Inter arcana dominationis Tyrannicæ conſervandæ recenſuit illas peſtes Ariſtoteles *lib. V. Pol. c. XI.* Nulla ejusmodi Tyrannis apud Polonos unquam radices egit; neque hodie ille dominatus conceditur, quo Reges

ges Galliæ Hispaniæque absoluto utuntur. Hinc jus Romanum apud illos magis in usu, tanquam promus litium condus, atque flagellum facultatum privatorum & civium, ne petulantèr agant, aut luxurient rebus secundis. At verò, quis videat in Regnis electitiis, illisque, quibus salus subditorum magis cordi est, juri Romano quicquam honoris dari? Repulsam passum esse in Sveciâ, Anglia, Dania, alibique, antea diximus. Neque Helvetiis Romanæ leges unquam placuerunt, quin potius lege statuerunt, ne secundum jus Romanum & JCtorum responsa controversiæ civium ventilarentur, sed ex æquo atque consvetudinibus patriis dijudicarentur. Defendit hanc rationem egregiè *Josias Simlerus lib. 2. de Rep. Helvet.* quia obviam eatur rapinis causidicorum, qui præcipuam scientiæ partem locant leges nudo & candido genio præscriptas variis intricare involucris,

cris, earum venari verba & ambiguitates, proque arbitrio exponere. Habet illud commodi Respublica Helvetiorum, quod lites à causarum Patronis, quorum vel nullos habent, vel paucos, in multos extrahi annos, aut ad nepotes usque transmitti non possint. Solet herile imperium civium opes per fori tricas expilare; neque curare, num immani dilatione pereant litigantes magnâ in insontes injuriâ. Fieri enim aliter non potest, quàm ut, qui in divitem pauper incidit adversarium, tàm longo & sumtuoso itinere lentè conficiatur, procumbatque denique lassus, vel, si tandem jus recuperaverit, inultus æmulo minus suo, quàm prolixæ irascatur æquitati, *ut elegantèr Barclajus Icon. anim. c. XV.* Neque rabulæ forenses in Imperiis illis rapinas solùm exercent impunè, sed magistratus quoque & judices, qui, dum turpissimâ nundinatione interdum & haud levi sumtu ad

officium provecti sunt, prædæ, quantū licet, inhiant, præsertim si litiganres sint divites; atque ex magnitudine munerum aut litigantium gratiâ componentes affectus, ipsis quoque legibus fucum facere persæpè non erubescunt. Queritur graviter Ibburranes *apud Barclajum l. 3. Argenid. c. 16.* & ostendit, quanta incommoda, quantæ rapinæ è frequenti judicum Rabularumque numero, longaque litium prolatione Reipublicæ resultent; addit remedia, quibus hic morbus profligari possit: sed serò nimis medicinam paravit, dum mala jam per longas invaluêre moras. *Gallis enim non solùm tantum ingenii acumen in ferendis litibus, ut nullum sit caput legis, nullum verbum, nulla syllaba, nulla litera, è qua argumenta aut vera aut verisimilia ad litium propagationem exprimere non possint*, ait *Bodinus. lib. VI. de Rep. c. 6. Sed usque adeo delectari illos litibus ferendis alen-*

alendisque, ut in eo genere omnium Mortalium studia superent, neque exscindi possint lites, nisi cum ipsius Reipublicæ interitu, nō dubitat idem asserere *Bodinus. l. V. de Republ. c. 1.* ipse causarum & litium patronus. Testatur *Cominæus lib. X. comment.* Ludovicum XI. Regem Galliæ voluisse consuetudines Regni ad eandem normam conscriptas in volumen aliquod patrio sermone redigere ad evitandas fraudes & causidicorum expilationes, non potuisse autem ad effectum perducere prudens Consilium. Quanquam autem omnes causidicos à foro arcet *Thomus Morus lib. 2. utop.* rectius tamen suadet *Saavedra Symb. 21.* si omnes à foro excludi non possint, ut pauci saltem tolerentur, qui litibus civium inserviant. Potest enim fieri, ut quis non posit omnia controversiæ momenta, à quibus justitia litis dependet, aptè satis & clarè judicibus proponere, ideoque causâ cadat, non,

quia reus, sed quia rationibus deficit, & commodè urgere non potest. Latè verò disputare, *an litium multitudo & rabularum Harpyarumque forensium colluvies in Republica esse debeat, nec ne?* alienum est ab instituto. Illud addendum, quia diximus, lites protrahi, & facultates civium causidicis exponi, signum esse herilis Monarchiæ, nequaquam tamen temerè apud Orientales, qui omnes herili imperio reguntur, observari. De Turcis narrat *Johann. Cotovicus c. VII. itiner. Hierosol.* in exercendis litibus unumquemque suam agere causam, sibi quemque defensorem, advocatum nullum aut procuratorem, nullas dilationes aut subterfugia juris anfractusque, sed judicia omnia summaria. Eadem *Bapt. Montalban. Comment rer. Turcic. p. 29.30.* De Japonensibus *Bernh. Varenius c. 18. descript. Japon.* de Æthiopibus *Damianus à Goës p. 456. descript. mor. Æthiop.* jus scriptum

ptum apud illos nullum esse, nec litigantium querelas libellis, sed ore peragi, nec lites avaritia judicum aut rabularum protrahi. Refert *Bodinus l. V. de Republ. c. 1.* Ferdinandum Hispan. Regem Proregibus suis Indiæ in mandatis dedisse, ne juridicos in Indiam deducerent, ne litium semina, quæ in illâ regione nulla, ab istis importarentur & propagarentur. Laudat hoc consilium *Trajan. Boccalinus cent. 1. relat. 83.* parcus aliàs in laudes Hispanorum. Quare verò processus summarii magis placeant Regnis Orientalibus, fortassis ideo fit ratione subditorum, quia ob ingenii stupiditatem non sunt apti ad fovendas lites, & nullo jure utuntur scripto, quod ambiguo sensu explicare possint: ratione vero Dominorum, quia omnem judiciorum autoritatem à se pendere, nec cives inter se alienatos velint. Apud Siamenses tamen non solùm multas esse lites, sed magno quoque litigantium

tium damno protrahi observavit *Jodocus Schoutenius descript. Regni Siam. p. 247.* quæ adjuncta est Varenii descriptioni Japoniæ. Sed hæc satis de exteris. Negari non potest multas lites in Polonia, multos quoque causidicos esse, qui lites, quantum possunt humeri, protrahere laborant, & ex muscâ elephantum facere. Solent tamen Nobilium causæ maximè, quæ in Tribunalibus & aliis Regni judiciis supremis teruntur, insidiis forensium vulpium obnoxiæ esse, prout majoris sunt momenti, aut major spes lucri causidicos affulget. Illud tamen laude dignum, quod justitia in Tribunalibus vendi non soleat, quia magistratus non est venales; & Ecclesiasticæ quoque personæ judicio assident, à quibus omnis ambitus & auri sacra fames exulare debet. In oppidis autem, quæ Regi Poloniæ immediatè subjecta sunt, Processus Summarii florent: quia opifices & mercatores,

tores magis lucro, quàm justitiæ intenti, ad magistratus subsellia eliguntur, parum juris, aut artium protelandi lites gnari; quas nec rabulæ, quia nullos habent, aut, si qui præsto sunt, fullones ut plurimum, & pannifices magis tractare lanam quàm causas artifices, extendere valent. Hinc raro senescunt, sed intra unius plerumque diei horam exspirant. Quamvis autem justitia ob defectum rabularum doctiorum, sincerè & rectè in civilibus administrari possit; (nam in criminalibus ad literam sequuntur jus Saxonicum) solet tamen ille morbus, qui reliquis quoque judiciis communis est, neque huic abesse, ut non interdum, prout actor vicinus, compater, affinis, frater, utile magis honesto præferatur, & sententiæ, quarum pondus & vis penes Consilii Principem residet, tales ferantur, quæ nullo alio jure, quàm quod latæ sunt, vel ex odio adversus reum, vel quia a-

ctor vicinus, & prodesse potest, nituntur. Neque fas est inquirere in causas aut rationes decreti. Jactitant enim Consvetudines veteres, quæ tamen plerumque in cerebro Ducis natæ sunt, neque tertium lustrum recordantur. Quod ipsas porrò Poloniæ leges attinet, ait *Cromerus l. 2. de Republ. judicatur Nobilitas suis legibus, quæ paucæ sunt, & Constitutiones vel statuta Regni vocantur, vel moribus quoque, vel ex æquo & bono, sive judicum opinione:* perinde atque *Thomas Morus l. 2. utop.* æstimationem suppliciorum judici relinquendam esse censuit. Olim quidem paucas leges habuimus; sed hodiè *Constitutiones Regni certant cum Recessibus Imperii Germanici.* Solent verò autores vehementer debacchari in legum multitudinem, ut sunt *Saavedra Symb. 21. & Ludov. Septal. l. 2. de R. St. c. 15.* quod nullum damnum intestinum gravius sit, quam legum multitudo; hanc civitatem

tatem destruere, copiam legum esse indicium infirmæ civitatis, quemadmodum ingens in civitate Medicorum numerus signum, in ea multos esse ægrotos. Melius consuli Galliæ penuria legum affirmat *Gramondus l. 1. Hist. Gall. quæ hòc facilius observarentur, quod plenius innotescerent: legum mole obrui populum, & legibus laborare, perinde ac malis plebem.* Galliam legum multitudine omnes Respublicas vincere tradit *Bodinus l. VI. de Rep. C. VI. Corruptissima Republica plurimas esse leges Tacitus l. 3. ann.* dixit, Politicorum, ut creditur, Coryphæus. Nec dubitarunt *Justus Lipsius l. 2. monit. Polit. c. 10. & Claudius Salmasius in præfat. ad Exercit. Plinian.* profiteri, Justiniano & Lothario parum gratiæ deberi, quod alter juris Romani libros componi curaverit, alter in lucem protraxerit. Ex illis enim tot lites ortas esse, tot leges, tot patronorum fraudes. Sed uti propter rei abusum

ſum non ſtatim tollendus eſt uſus: ita hominum improbitas in culpa eſt, ut multæ latæ fuerint leges. Rectè *Mariana l. 1. de Rege. c. 2. illud ſit veriſimile*, ait, *leges initio pauciſſimas extitiſſe, easq; paucis & apertis verbis, nulla explicatione indiguiſſe: legum verò multitudinem tempus & malitiam invexiſſe tantam, ut jam non minus legibus, quàm vitiis laboremus.* Multæ ſanè leges non faciunt, ut ægra ſit civitas & corrupta: ſed quia civitas ægra eſt, ideo multis opus legibus: atque hic eſt genuinus verborum Taciti ſenſus, ſcil. corruptisſimâ Romana Republ. plurimas fuiſſe leges, quia ægrotabat civitas, Obſervavit hæc rectè quoque *Chriſtoph. Förſtnerus in not. Pol. ad Tac. annal. l. 3. p. 428.* ubi hunc errorem latè refutat. Illud Polonicis tamen legibus, quarum benè multas habemus, deficit, quod ad juſtum ordinem non ſint redactæ omnes, Hinc narrat *Piaſecius anno*

no 1632. p. 449. Chron. non minus optaſſe omnes, ut legum publicarum formula corrigeretur. Licet enim iſtæ, ait, *optimæ habeantur, & ſummâ quâdam juſtitiæ æqualitatisque temperatione moderatæ; tamen, quod nunquam fuerunt unius alicujus Principis ſ. Legislatoris cura ſub certa univerſalium Sanctionum regula traditæ, ſed nunc una, nunc altera inter longisſima temporum intervalla à diverſis Principibus & quàm plurimũ in caſtris tumultuariè inter armorum ſtrepitum rogatæ, non paucæ in eis ad perfectam judiciorum inſtructionem deſiderantur, quodque deeſt, è legibus exotericis ſuppleri non permittitur.* Hæc *Piaſecius*, cujus verba ultima apertè declarant, qualis ſit juris civilis Rom. in Polonia autoritas. Fruſtra tamen omnia tentata eſſe idem refert. Queritur *Staravolsc. p. 75. peſſimo fato in Comitiis non præſcribi leges ſumtuarias aut veſtiarias*, cum tamen in Comitiis Varſav. *an. 1613.* ut Conſtitutio

tutio illius anni testatur, lex sumtuaria contra plebejos sancita sit, *ut ne ullus civis vel plebejus, excepto Magistratu, audeat uti vestibus sericis, aut subductitiis, pretiosis pellibus, exceptis vulpinis & aliis deterioribus; nec calceis Saphianis sub pœna 14. marcarum ad cujusvis instigationem, & earundem rerum delatori adjudicatione.* Quàm accuratè vero lex illa hodiè observetur, testatur experientia. Solent communitèr ejusmodi edicta, quibus modus vestium & gulæ præscribitur, cum contemtu excipi, & vix unquam executioni mandari. Ideo rectè *Saavedra Symb. 21.* concludit, *non minus detrimentum adferre sanctiones illas circa luxum vestium & sumtus superfluos, quia si non recipiantur, de Principis agatur existimatione: si admittantur, Lunam eandem, qui eas sanxit, vicissim abolere.* Questus olim apud *Tacitum l. 3. annal. C. Bibulus, sperni legem sumptuariam. Faciet* itaque *pru-*

prudenter Princeps, si leges sumtuarias suæ vitæ exemplo sanciat, ne cives ad contentum aliarum legum inducat, ait *Mariana* prudentèr. *l. 1. de Reg. & Reg. Inst. c. IX.* Ita dum *Vespasianus Imper. antiquum ipse cultum victumque ad usum revocavit, majus inde obsequium in Principem & æmulandi amor validior, quàm pœna ex legibus & metus. Tac. l. 3. annal.* Rectè *Claudianus de IV. Consul. Honor. Aug.*

In commune jubes si quid, censesq; tenendum,
Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi: componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.

Aurea sanè & notatu digna verba. Magis itaque autoritati Principum con-

consulant, qui leges sumptuarias ferre negant, quàm qui urgent. Negat *Trajanus* quoque *Boccalinus cent. 1. Relat. 63.* affirmat præter alios *Ludov.* von *Seckendorf. p. 2.* deutscher Fürsten Staat. *c. 8. num. 9* Egregiè huc facit exemplum quod refert *Hieronym. Conestagius. l. de Portug. cum Regno Castell. conjunctione. l. 1. p. 29. Tulerunt Jesuitæ*, ait, *ut luxum Lusitaniâ expellerent, leges sumtuarias ita severas, & inprimis de cibis, ut olim vix in veteri Spartâ receptæ fuissent. Exprimebant leges nominatim genera ciborum, qui vel permittebantur vel vetabantur; item quibus rebus quemque pecuniam suam impendere fas esset, adimebant ipsis usum omnium, quæ ex aliis Regnis importantur, quæ vel deliciis vel commoditati hominum inserviunt. Itaque remedia tâm violenta non solùm inutilia fuerunt & ridicula; verùm etiam confirmarunt opinionem eorum, qui statuunt homines Ecclesiasticos*

sticos non aptos esse ad Reipubl. administrationem, non magis, quàm sit Magistratus civilis ad tractanda Ecclesiastica idoneus. Non considerarunt Jesuitæ, fieri non posse, ut gens adeo corrupta à summâ licentia, quâ utebatur, subitò ad rigidam majorum suorum innocentiam & parsimoniam rediret: id quod in angusto monasteriorum suorum circuitu, nedum in Regno universo, difficultèr obtinuissent. Facit huc etiam exemplum, quod refert *Guilbelm. Camdenus part. II. annal. rer. Anglic. sub Elisab. ad ann. 1574. Summus vestium luxus*, inquit, *his temporibus in Angliam se infuderat, & patrius cultus peculiari gentis imitatricis vitio ita sordescebat, ut homines novâ vestium formâ & apparatu nimis splendido animorum deformitatem & insolentiam quandã proderent, dum sericati auro & argento vel intexto vel bracteato rutilantes passim volitarent.* Ut malum hoc prohiberetur, *Elisabethã*
Re-

Reginam edicto imperasse, porrò refert, *ut quilibet intra XVI. dies vestitum ad præscriptam rationem conformarent, nec severitatem legum evocarent, & ipsam in aula incepisse. Sed temporis malignitate*, (tandem concludit,) *& hoc edictum & leges superbo huic luxui paulatim cesserunt, qui semper insolentior renascebatur: unaque conviviorum luxuria irrepsit & ædificiorum splendor.* Possunt hæc illustria exempla Principem docere, an leges sumtuariæ utiles sint nec ne? videatur *Nicol. Zevecotius* quoque *in not. ad Florum. l. 3. c. 12.* Indecorum sanè Principi attrectare illud & jubere, quod non obtinere potest. Pergimus. Constitutiones verò Regni, quæ in Comitiis ab omnibus ferri solent, pro rei & temporis necessitate mutari quoque solent. Id *Staravolscius p. 80.* fatetur, scilicet *sæpius immutari, abrogari & reassumi leges. An leges mutari in Republicâ aut abrogari possint*, frequens & vana inter

inter Politicos quæstio est. Disputat *Aristoteles lib. 2. Pol. c. 6.* in utramque partem. *Saavedra Symb. Pol. 21.* in eâ videtur sententia esse, *quasi leges nunquam mutari debeant, sed constantèr observari, licet sint imperfectæ.* Contra *Gabriel Vasquez comm. in III. D. Thom. quæst. XCVII. artic. 1.* ex duabus causis mutari legem humanam posse justè concludit, ex parte rerum, ob majorem utilitatem; ex parte hominum, quia, dum mutantur homines, mutari leges quoque debent, ne id, quod antea erat utile, noxium fiat. Mutantur autem rectè leges, quatenus earum mutatione melius communi consulitur utilitati, cujus gratia omnes leges latæ sunt. Ideò rectè monuit *Aristoteles l. 3. Pol. C. XI.* ni fallor, leges ad Rempublicam & salutem civium accommodandas, non Rembublicam ad leges. *Fernand. Vasquius contr. Illustr. 2. n. 19. non posse*, ait, *regularitèr Principem* mu-

mutare leges absque consensu populi, quia legis minister sit & custos: quæ tamen sententia nititur falsâ hypothesi, quam suprà notavimus. Neque enim omnia Imperia populi gratia constituta sunt. Rectius *Hugo Grotius lib. 2. de jur. bell. & Pac. c. 20. n. 24. & Septalius l. 2. de Rat. Stat. c. XI.* Reges non nisi *probabili de causâ & gravi* leges antiquas mutare posse affirmant. Latius hanc quæstionem examinant *Christoph. Lehmannus l. V. Chron. Spirens. c. 62. & Bodinus l. 4. de Republ. c. 3.* Prout ergo leges semel latas temerè mutare, insana temeritas est, cum nihil aliud sit leges constituere statim pravo usu abrogandas, quàm nomen Regium, quod præ se ferant, habere in ludibrium: ita pertinaciter iis inhærere, quamvis saluti publicæ, legi supremæ contradicant, pertinacia non minus insignis, quàm perniciosa est. Tulit legem apud Locrenses Zaleucus, *ut, qui in posterum novam legem rogare, aut jam legi latæ derogare, aut in illa mutare quicquam, aut de sententia legis contra scriptum contendere cum quoquam vellet, is inserto in laqueum collo Concilium mille virorum ingressus de lege verba faceret, idque in hunc finem, ut si mentem suam Concilio probaret, hoc est, id, quod volebat, utile & honestum, atque è re civitatis esse demonstraret, lege admissâ incolumis discederet: sin minus, ut è vestigio præsente & spectante Concilio vitam laqueo finiret*, refert *Ubbo Emmius descript. Reip. Locrens.* Num hoc modo rectè Zeleucus Reipublicæ saluti & justitiæ consuluerit, meritò quis dubitet. Ut enim non omnes casus, ait *JCtus Julianus. l. 10. & 12. ff. de legib.* legibus & Senatusconsultis comprehendi possunt: ita quoque fieri poterat, ut omnia, quæ in Republ. illâ necessaria, legibus mandata & definita non essent. At verò affirmare, Zaleucum omnia, quæ ad Rempubli-

blicam illam pertinebant, ita legibus descripsisse, ut omnes casus comprehenderit, quæ accidere possunt, neque opus fuerit unquam leges mutare, aut novas promulgere, temeritas esset. Ostendit sanè lex talionis, quam refert *ex Demosthene Emmius*, quâ statutum erat, ut qui alteri oculum excussisset, ipse oculo spoliaretur. Accidebat autem, ut monoculo minaretur inimicus, se ei oculum illum unum excussurum: percutebatur hac comminatione monoculus, & meritò; erat enim iniqua proportio, si percussori iterum oculus excuteretur; ipse autem planè cœcus redderetur, quia unum saltem haberet, alter duos. Opus itaque erat novâ lege, quam monoculus tamen tàm iniquo & stulto discrimine rogare necesse non habebat, si alitèr justitia rectè administrari debebat. Similes casus oriri poterant. Antequam ergo ferantur leges, probè examinandæ sunt: ubi latæ

latæ sunt, tolerandæ, ita tamen, si salus Reipublicæ mutationem postulet, ne illis pertinacitèr inhæreamus. Parendum esse supremo juri, quod non Lycurgus, aut Solon, sed ipsa natura sanxit, communis sensus approbat, omnium mores gentium & instituta confirmant, ut quæ Reipubl. salutaria sunt, justa & legitima censeantur: *semper homines usu & scientia instructos existimasse, ad novos temporum casus novas leges & rationes accommodandas esse*, rectè Legati Regis Galliarum *apud Dominic. Baudium liber. 3. de induc. belli Belgic. pag. 356. seq.* monent. Magis famæ periculum subit Princeps, si manere velit legem, cui multitudo non pareat, quàm si eâdem ad usum & necessitatem Reipublicæ restrictâ, populum in officio contineat: Videbat *Philippus II.* Rex Hispaniæ fructus inquisitionis Hispanicæ, querelas, tumultus & defectiones civium in Belgio, nihilominus

Jominus insanâ vehementia urgebat rigorem inquisitionis, quo illibatam & salvam (prout est Hispanorum ingenium arrogans & superbum) autoritatem suam servaret, quia semel mandata erat inquisitio illa, licet provinciæ deficerent. vid. *Famian. Strada Dec. I. bell. Belg. l. V. Tyrannica obstinatio est*, ait rectè *Saavedra Symb. 65. errores agnoscere quidem, nec tamen emendare velle*. Erat olim apud Romanos nota lex Ulpiani, *Principem solutum esse legibus*. Sceleratam illam esse & multarum in Republ. calamitatum causam affirmant *Corasius l. 2. miscell. jur. c. 25. & Connanus l. 1. comment. jur. c. 16.* ut autem temerè nemo admittit simplicitèr, Principem omnibus solutum esse legibus, ita communitèr distinguere solent leges naturæ & Gentium à legibus civilibus, ita, ut illis non sit solutus, his verò secundum *vim directivam, non coactivam*, sicut distinguunt Moralistæ, quo-

quorum multos recenset *Arturus Duck l. 1. de autor. jur. civil. c. 3. n. 12.* At verò distinctio illa non solum inepta, sed universalitèr quoque vera non est. Possit enim Rex tali conditione eligi, ut ni administret Rempublicam secundum leges, cogi possit. *Vid. Guilb. Barclajus l 3. advers. Monarch. c. 8. & Hugo Grotius l. 1. de jur. bell. & pac. c. IV. n. 10.* Si dicere licet, *Staravolscius quoque noster pag. 79. descript. Polon.* non dubitat profiteri, *Senatum Regem nostrum imprudentius regnantem objurgare solere.* Pax verbo. Quod majus, inclusus est articulus denegationis obedientiæ, ut testatur *Sulicovius comment. rer. Polon. p. 15.* juramento Henrici Valesii, si juramentum violaret. Dura sanè conditio, quæ omnem humanitatem, dum errores tollit, removet. Multa sanè, sincerè loquitur *Fredro. p. 137. per errorem fieri possunt, præsertim à Principe, quem, cum plurima mortalium*

lium agere oportet, in pluribus ut peccet, tristi quodam humanæ fragilitatis privilegio exemptum esse; *neque tamen statim inobedientiam temerariè inducendam esse, sed alia superesse remedia, si pertinacius peccare velit, scriptas leges, jus jurandum, Senatorum ordinem, autoritatem Archi-Episcopi*, & alia. Hæc omnia gravitèr & prudentèr *Fredro*. Damnosa planè sententia, & quæ portam aperit seditionibus, Regi negare obedientiam, si quandoque contra leges peccat. Quatenus vero Rex obligetur legibus civilibus, disputat rectius *Grotius l.2.de jur.bell.& Pac.c.2. n.24.c.4.n.XII.* quatenus autem non conducat, Principem legibus esse solutum, ostendit *Georg. Buchananus Dialog. de jur. Regn. ap. Scotos. p. 18. & Mariana l. 1. de Rege & Reg. instit. c. 9.* Neque obtinet in Polonia. *quod Principi placuit, legis habet vigorem, l. 1. ff. de constit. Princ.* est hoc signum Monarchiæ Romanæ. Quod in

in Polonia Omnes concludunt in Comitiis, id legis habet vigorem, id omnes obligat. Ut tandem concludamus, *sunt leges Poloniæ maximè ad æqualitatem mutuam Nobilium conservandam comparatæ. Piasec. p. 536.* Diximus, quænam jura in Polonia obtineant, quænam judicia, quomodo omnia administrentur & à quibus, addendùm necessariò, quid Rex *circa Judicia criminalia* possit, qua ratione jurisdictioni Regiæ subsint & Nobiles seculares & Ecclesiastici quoque viri. Ita verò *Piasecius p. 59. Chron. Rex aculeo prorsus caret; nam in vitam aut personam facultatesque Nobilium potestatem nullam habet; & etiam manifestè delinquentem præter paucissimos recentis criminis casus vel, nisi jure convictum, detinere, vel carceri tradere non potest.* Ita *Staravolscius* quoque *Pag. 77.* Unde *Barclaji scomma. Icon. anim. c. 8. Principi non satis juris est, ut, quod peccaverint, ipse vindicet.*

Notandum verò est, quanquam vulgò ita dicitur, de Nobilis alicujus capite non nisi in Comitiis dijudicari à Rege posse, alitèr tamē reverà se rem habere. Sanè Stephanus Rex Batorius non attento hoc Privilegio non dubitavit per Johannem Samoiscium Cancellarium capitis pœnâ multare Samuelem Sborovium inconsulto Senatu; de qua videatur *Sulicovius comment. rer Polon. circ. fin.* & *Piasecius. p. 17.* Deinde testatur experientia quoque contrarium. Incongruum esset valdè, si Nobilis sit latro aut prædo deprehensus, in Comitiis demum de justitia consultare, an puniri posit? Illud majoris momenti, *quatenus Clerici jurisdictioni civili in Polonia quoque subjecti sunt.* Si sententiam Cromeri sequaris, *Rex jam ab initio susceptæ Religionis Christianæ in Sacerdotes nihil prorsus juris habet.* Num rectè se habeat hæc sententia, videbimus. Et verò ita docent communitèr Pon-

tificii Scriptores non Ecclesiastici solum, sed Politici quoque. *Didac. Saavedra Symb. Pol. 30. si Clerici officio suo desint, puniri non possunt à seculari Principe. Mariana lib. 1. Instit. Reg. c. X.* Principem monet, *ne ullum è sacrato ordine supplicio quamvis merito subjiciat. Si qui ex ordine sacrato homines pestilentes extiterint, Pontificibus, ut remedium afferant, autor sit, ipse haudquaquam sua autoritate ac pro imperio jura violabit.* Eadem inculcat imprimis *Robertus Bellarminus l. 1. de Cleric. c. 28.* qui primò Clericos jure humano exemtos esse statuerat, at bello inter Venetos & Pontificem Rom. orto palinodiam cecinit, & jure divino illam exemtionem probare voluit. Dicta Scripturæ sunt *Matth. XVII. 26. 1. Cor. 2. v. 15. Psal. 105.* & alia; ad quæ satis respondent *Marsilius Patavinus defens. pac. c. 4. p. 132. Henninus Armisæus de exemt. Clericor. c. 3. n. V. Balth. Meisner.*

 Phil.

Phil. Sobr. part. 3. sect. 2. c. 3. qv. 1. aliique. Concilia quoque, ad quæ provocavit Bellarminus, Clericos à civili potestate eximere non potuerunt. Quod enim quis ipse in suâ potestate non habet, id in alium quoque transferre non potest. Prohibuerunt autem Concilia, ne Clerici alii alios ad judicia traherent. Recitat decreta Conciliorum *Barclajus de potest Papæ. c. 32.* & ad singula accuratè respondet. Magis itaque procedit prior Bellarmini sententia, jure positivo humano exemtos esse à pœnis civilibus Clericos. Non enim negamus, multa privilegia Clero tributa esse ab Imperatoribus Imperii Orientalis, à Constantino in primis Magno, de quo *Sozomen. lib. 1. Histor. Eccles. c. 9.* Justinianus ipse multa indulsit Clericis, uti ex *Novell. 82. & 123. c. 8.* alibique patet. Authentica Frider. II. persvasu Honorii III. Pontificis condita exemit quidem Clericos à juris-

jurisdictione civili, sed minorum Magistratuum; non majorũ, quibus nihil præscribere potuit. Opus autem habent autoritate aliquâ, quæ facilè læderetur, si cuivis judicio pedaneo se sistere tenerentur, daretur omninò Laicis scandalum. At vero à Jurisdictione Regum suprema liberari neutiquam potuerunt jure aliquo positivo. Quanquam, si de facto loquamur, olim in Polonia id factum fuisse è verbis *Cromeri* apparet, quando *lib. 7. Histor.* ait, *Henricum Archiepiscopum Gnesnensem perfecisse diligentia & autoritate suâ, ut Principis atque omnium Ducum Procerumque Consensu & universi conventus Constitutione sacer & Ecclesiasticus ordo omnis cum adscriptitiis & subditis suis ab omni profanorum Judicum, etiam Ducum atque ipsius summi Principis jurisdictione prorsus liber esset, ita ut ne per exceptionem quidem ullam aut revocationem pertrahi sacrorum ministri ad* ullum

ullum profanum forum possent. Ingens sane privilegium, & quod alibi haud temerè concessum legatur. Interim tamen quanto Reipubl. damno & periculo illud datum sit, (si unquam concessum) ostendit exemplum, quod *lib. 9. Histor.* refert *Cromerus* de Paulo Episcopo Cracoviensi. *Hic,* inquit, *cum suæ dignitatis immemor totus voluptatibus, venationi, & libidinibus deditus, & subditis suis gravis, adversus Boleslaum Principem contumax esset, nec precibus, nec monitis flecteretur, & præterea monachâ quadam pro concubina uteretur, in Cunoviensi prædio captus, & in carcere honesto à Lescone Nigro servatus est, Boleslai jussu vel permissu. Sed cum Johannes Archiepiscopus Gnesnensis omni Provinciæ suæ sacris eam obrem interdixisset, conviciis & maledictis populi* (cujus tum erat sanctior simplicitas) *exagitatus Boleslaus dimitti eum jusserat, & in gratiam cum eo redierat. Nec tamen non*

non quiescebat Paulus &c. Hoc scilicet non erat, quod *Paulus ad Tit. 1. v. 7.* scripserat, *Oportet Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.* Ita verò delicta illa Episcopi impunita non solùm, sed ipse, qui pœnam à reo jure exegerat, pœnam subiit, dum ab Archiepiscopo fulmine percussus Boleslaus nullo jure, sed inverso, quod optimè meruerat Episcopus Cracoviensis. At verò non licebat Principi violentas sanctæ personæ manus inferre, ex pacto & conventione olim à Principibus cum Clero inita? Ita argumentabatur Archiepiscopus. Non poterat tamen conventio illa successores, quia præjudiciosa & injusta, obligare; non dicam, quia ipso jure nulla, dum saluti Reipubl. repugnabat, cujus intererat, ne delicta manerent impunita, & peccantium impunitate

 novis

novis ſceleribus aditus fieret. Senſit tamen hanc peſtem non ſolùm Polonia tum temporis, ſed totus penè Chriſtianus orbis, ex quo partim de facto Clerus excusſit obedientiam jurisdictioni civili debitam: partim quoque Pontificis ipſius Romani autoritate & indultu licentiâ abuti cœperunt omnes Eccleſiàſtici. Addidit audaciæ ſtimulum luxus, fidelis divitiarum comes, quibus Imperatores & Reges Clerum penè non obruerant. Creſcentem luxũ exceperunt flagitia & bella, quibus inter ſe digladiati ſunt Imperatores & Reges artibus Pontificum & Cleri, qui occaſione, quam fors dabat, ſtrenuè utentes, non obliviſabantur, quantum poterant, in turbidâ piſcari aqua, & rebus ſuis conſulere. Ipſi Pontifices, Cleri enormem & luxurioſam viderent vitam, nihilominus diſſolutæ magis licentiæ lenocinabantur, & pulvinar ſubſternebant. Egregiè huc verba *Buchanani* quæ *lib.*

lib. 10. Hiſtor. Scotic. habet, *Sacerdotes* ait, *per magiſtratum corrigi non poterant. Jam enim diu per totam Europam Regibus bello impeditis paulatim ſacrificulorum ordo jurisdictioni eorum ſe ſubtraxerat; uniusque Romani Pontificis arbitrio parebant. Is autem vitiis illorum indulgebat, quod rem quæſtui ſibi videret eſſe, & licentiam fovebat, ut per ordinis ejus potentiam Reges ſibi magis haberet obnoxios.* Nec dubitarunt tum temporis Pontifices latronibus per diplomata & literas ſalvi conductus veniam dare delictorum. Mercatus fuerat grandi pecunia diploma Romæ Scotus quidam inſignis latro, quem in Scotiam redeuntem & captum Randolphus Scotiæ Pro-Rex ſupplicio affici mandavit, maſculè affirmans, *Culpæ quidem condonationem ad Pontificem; corporis verò pœnam ad Regem pertinere, Buchanan. l. 9. Hiſt. Scot.* Multos tum temporis Imperatores & Reges Pontifi-

 ciæ

ciæ excommunicationis fulmen percuſſit, quod Epiſcopos vel de ſolio deturbaſſent, vel carceri mandaſſent. Donec ſeculo decimo quinto & ſexto vileſcere cœpit autoritas Apoſtolicorum fulminum; quod viderent Principes, ſub ſpecie Religionis rebus ſuis privatis ſtudere Pontifices, adeoque Eccleſiaſticâ illâ poteſtate abuti. Itaque non dubitavit Ludovicus XI. Cardinalem Balvenſem in caveâ ferrea, quam ille ex cogitaverat ad plectendos ſontes, per annos quatuordecim detinere, ne Galliæ quoque ſuus deeſſet Peryllus. *vid. Comin l. X. comment. Joh. de Buſſier. l. 13. Hiſt. Franc. Henricus VIII.* Rex Angliæ Cardinalem Wolſæum. *Polyd. Virgil. l. 27. Hiſt. Angliæ.* Henricus dein III. Rex Galliæ Cardinalem Guiſium perduellionis reum transfodi; Cardinalum Borbonium verò & Archiepiſcopum Lugdunenſem in carcerem detrudi curavit: de quo *Joh. de Buſ-*

ſier.

ſier. l. 21. Hiſtor. Franc. c. 20. Plura exempla in Hiſtoria occurrunt. *De* Cardinale Cleſelio *vid. Gramondus lib. 4. Hiſtor. Gall.* Nuper Cardinalis de Rez in Gallia coactus eſt exilio ſalutem quærere. Illuſtre planè exhibuit Reſpubl. Veneta circa annum 1605. cum enim Brandolinum quendam Nerveſiæ Abbatem & Saracenũ ob nefaria ſcelera in carcerē conjici curaſſent; Paulus verò Pontifex per Nuncium ſuum vehementèr hoc factum Venetis exprobavit, utque Romam uterque mitteretur, tanquam ad forum competens, mandavit. Veneti verò obſtiterunt huic monſtro piè & prudentèr, ait *M. Anton. de Domin. part. 2. de Rep. Eccleſ. l. V. c. 9. n. 42.* ideoque à Pontifice Clero ſacris interdictum; Venetis autem excommunicatione notatis bellum movit, quod latè deſcripſit *Andreas Maurocenus Hiſt. Venet. l. XVII. Finitum illud bellum magnâ cum Reipubl. laude, quod in*

 pu-

publica causa nulli sumtui, nullis laboribus pepercisset, avitamque tuendæ dignitatis ac libertatis laudem in totius orbis theatro repræsentasset. Plura de hac quæstione addere non videtur necessarium. Saltem elegantissima verba *Guilh. Barclaji* non possumus non adjicere, quæ notavit. *l. de potest. Papæ. c. 32. Clerici per totum orbem, quocunque gradu vel ordine sint, non sunt exemti ullo modo & libertate à potestate temporali secularium Principum, in quorum Regnis & regionibus vitam degunt; sed perinde ac cæteri cives iis subjecti sunt in omnibus, quæ ad politicam & temporalem administrationem & jurisdictionem pertinent; inque eos jus vitæ & necis, sicut in cæteros subditos ad ejusmodi Principes pertinet, ac proinde potest Princeps Clerico delictum quodlibet non Ecclesiasticum committenti culpam vel clementiâ & indulgentia donare, vel debitis lege suppliciis vindicare.* Hæc ille, quamvis Pontificiæ Au-

Autoritatis defensor. Si enim *omnis anima subdita esse debet potestatibus supereminentibus; ergo & Cleri quoque. vid. Marsil Patavinus defens. Pac. part. 2. c. V. Arnisæus de Exemt. Cleric. c. 3. n. 2 & elegans disputatio apud Gramondum lib. 2. Histor. Gall. p. 105.* Vanum itaque jus illud, quod pro exemtione illa citat Clerus: neque in Polonia privilegium illud datum Statui Ecclesiastico, si unquam consensu Procerum confirmatum, valere potest, aut successores obligare, quia saluti Reipubl. adversatur. Quodcunque autem salutem Reipubl. pessundat; illud omni jure injustum est, & censeri debet, perinde ac leges omnes, si à natura & ratione aut pietate deflectant, neminem obligare possunt, ut ostendit *Grotius l. 3 de jur. bell. & Pac. c. 23. n. V.*

Caput VIII.

De Comitiis Regni Poloniæ.

QUid Rex Poloniæ ſolus poſſit, vidimus. Nunc illa ſequentibus trademus, quæ cum Nobilitatis conſenſu poteſt. Quia autem omnia illa in Comitiis peraguntur, itaque hoc caput prius oſtendet, quomodo in Polonia ſe habeant Comitia. Notandum autem eſt, olim Comitiorum noſtrorum planè aliam fuiſſe faciem. Habebat enim Rex plures è Proceribus conſiliarios, quibus cum de rebus magni ponderis deliberabat; qui cum omnes tum propter alias functiones publicas, tum propter curam rei familiaris ſemper ad latus Principis aſſidui eſſe non poterant, præſcribebatur à Rege certa dies & locus certus, ad quem ſinguli veniebant, deque negotiis Reipubl. conſultabant.

bant. Poſtea omnis Nobilitas admiſſa eſt ad Comitia. Quia autem impoſſibile erat, omnes Nobiles Comitiis vacare, inſtituti ſunt in ſingulis Satrapiis *conventus particulares*, quibus electi ſunt Legati, ſeu ut vulgò dicuntur, *Nuncii terreſtres*. In illis Conventibus, qui ſex ſeptimanis Comitia generalia antecedunt, *juxta Conſtitut. comit. anno 1613.* conſultatur de rebus, quæ in Comitiis à Nunciis proponi debent. Poſt illos conventus tandem *Comitia Generalia* initium ſumunt, quæ à Rege indicuntur. Quotannis olim illa inſtituta ſunt: dein in Comitiis ſub electione Sigiſm. III. decretum, ut quolibet biennio Comitia Generalia habeantur. Rex tamen Sigismundus non expectato illo biennio Conventus Generales ante tempus præſcriptum celebravit *ut teſtatur Piaſecius. Chron. p. 356.* Olim Comitia ſimplicioribus & melioribus ſeculis bidui vel tridui ſpatio perageban-

gebantur: augescentibus dein judiciis & rebus agendis in longius tempus extracta sunt, ut tempore Stephani Regis sex hebdomadas duraverint, & hoc tempus lege definitum est. Locus Comitiis certus olim nullus erat: sed ubi Principi collibuerat, etiam sub tentoriis agebâtur. Postea Petricovia oppidum in meditullio Poloniæ situm, lege definita est. Cum autem Litvani longo itinere ad illa Comitia opus haberent, in gratiam illorum Warsavia Comitiis celebrandis lege definita est, ni obstet quispiam prægnans casus. *Constitut. convent. gener. Lablin. anno 1569.* Potestatem autem suffragia ferendi habent Senatores, & loco Nobilium omnium Nuncii terrestres. Marchiones Brandeburgici. Vasalli ratione Ducatus Bussiæ, per Legatos olim aliquoties orârunt, ut locum in Senatu haberent, & ad suffragia ferenda admitterentur, de quo *Fredro, p. 43.* & in Interregno post discessum

scessum Sigism. III. idem postularunt, sed omnia frustra. Rectè itaque *Staravolscius p. 85. Vasalli nostri non sunt viva membra, non veniunt ad Comitia, non habent suffragia*: quæ nuper aceeperunt beneficii loco urbes *Dantiscum, Cracovia & Vilna.* anno 1632. *Piasecius. Chron p. 541.* Rex in Comitiis cum Senatu consultat de rebus majoribus: perinde atque olim Duces apud Germanos, de quibus *Tacitus l. de mor. Germ.* Decidendi potestas & autoritas Comitiorum magnâ ex parte residet penes Nuncios terrestres, quorum potentia, quia admodum eximia, facit, ut interdum non benè conveniant inter se Ordines. Hinc Nuncios illos *homines plerumque factiosos* nominat *Piasecius Chron. 15. p. & Trajan. Boccalinus in Lapid. Lydio X.* nihil magis improbat, quàm nimiam illorum hominum licentiam. Si inspicimus Historiam nostrorum Comitiorum, exempla justo plura in-

invenias. Narrat *Bernh. Vapovius in fragm. quod historiæ Cromeri adjecit*, *Anno 1533.* Sigismundum I. Regem Comitia Petricoviæ celebrasse *non sine magnâ æmulatione & disturbio; Nunciis terrarum parum inter se convenientibus, & à Regio Consilio & Magnatibus diversùm euntibus.* Ita *Demetr. Sulicovius comm. rer. Polon. p. 91. seq.* refert, Comitiorum Torunensium à Rege Stephano indictorum tractatus de die in diem fuisse *tractos à Nunciis terrarum, hoc, nunc illud causantibus, nunc cum Ecclesiastico statu litigantibus, ut elapso comitiorum præscripto sex hebdomadarum spatio rebus prorsus infectis* è Comitiis primis post Regis Coronationem cum magno dolore & verecundiâ Regis discessum sit; quanquam nihil de his turbis *Piasecius. Chron. p. 3.* Plura exempla allegare necessarium non est; cum certum sit, Nuncios terrestres ut plurimum turbas ciere solere in con-

conventibus generalibus, & in caussa esse, quo minus interdum quicquam certi concludatur. Eleganter *Machiavellus l. 4. Histor. Florent. Semper accidere solet, dum ii, qui consulunt, pari autoritate, sententia verò dispares sunt, ut nihil salutare constituatur.* Docet id experientia. *Fredro in fragm. Polit. c. X.* audet quidem profiteri, Romæ studia plebis & Senatus non obfuisse, sed profuisse potius Reipubl. At quamvis olim Tribunitia illa potestas armata sacrosanctis legibus, & optimo jure fundata, telum libertati repertum ad tuendum plebem contra injurias potentiorum: laborabat tamen ingenti vitio magistratus ille, ut quo sæpius rogationes ad populum fierent, eò ægrius inter ipsos conveniret: cujus incommodi labes inde nascebatur, quod unius intercessione consensus reliquorum impediebatur. Plena hujusmodi tumultibus Livii historia. Præstat verò,

verò, pacatè omnia in Rebus Publ. fieri. Primum conservandæ Reipubl. instrumentum esse Unitatem *Alb. Ines* rectè dixit. *part. 1. Lechiad. in Craco.* Videmus interim eadem in Comitiis Poloniæ accidere, ut semper studia Nunciorum & Regis cum Senatu inter se collidantur, an commodo Reipubl.? quivis videre potest, Mihi sanè nemo persvaserit. Eâdem pollere potestate Nuncios terrestres, quâ olim Ephori apud Lacones præditi fuerunt, inquit *Cromerus l. 2. de Republ.* atq; illorum institutum laudat *Mariana l. 1. de Rege c. 8.* Quænam fuerit Ephororum potestas, videri potest apud *Ubbon. Emmium desc. Reip. Lacon.* Certè *Aristoteles l. 2. Pol. c. VII.* æqualem Tyrannidi fuisse affirmat. Differunt tamen in multis à Nunciis nostris, *ut cap. 2.* jam observavimus. Sed non est disputandum quatenus conveniant hi magistratus cum alterius alicujus Reipubl. quo-

quoad potestatem; Sed videndum quam maximè, *an illa Potestas Reipubl. quoque tuæ sit salutaris, quo uno constat potestatis illius justitia.* Res denique, quæ in consilium venire solent in Comitiis, pleræque versantur circa leges novas ferendas, vel veteres ex necessitate Reipubl. limitandas aut abrogandas: circa bellum & fœdera, tributa & vectigalia indicenda, de quibus in sequentibus agemus.

CAPUT IX.

De Bello.

BEllum indicere & inferre Reges nostri non possunt; competit ea potestas omnibus, qui in Comitiis suffragia ferunt. Itaque quâ ratione se habeat Respubl. nostra tempore belli, videbimus. Duo autem distinguenda sunt à se in vicem tempora, quemadmodum olim tempore belli Respubl. constituta fuerit, &

& hodiè. Olim, quàm in campum Exercitus ducebatur, lustrum provinciale prius agi solebat. Prodibant ad lustrum Nobiles lege, pœnâ, amore patriæ impulsi, quantum facultas & supellex domestica permittebat, armis, equis & comitatu instructi; nomina provincialium, quos habebat, Palatinus quisque in tabulas referebat, qui aberant, pœnâ infamiæ publica notabantur. Neque excusationem, qui poterant praetendi, inveniebant ulli praetextus; si vidua Nobilis erat, ære conductos armatos mittebat: si decrepitus senex, parentis vicem adibat filius, ad bellum magis aptus. Si infirmus & valetudinarius, immunis erat; ea tamen legis erat severitas, ut finito bello cogeretur juratò & per testes probare infirmitatem suam. Inoleverat mos; ut prima post festum Paschatis Dominica quotannis provinciale lustrum exerceretur in singulis Satrapiis. Videbatur

batur enim necessarium, ut Nobiles commonefaceret officii lustrum, quatenus arma non negligentius tractarent, & parati lustro non imparatos se sisterent fortuitis belli casibus; tardius aliàs in aciem prodituros esse, si tum arma quærerent, quando pugnandam erat. Convocabantur autem Nobiles, ut ait *Fredro.p.29*, ad lustrum una die per provincias, partim ne armati diviso tempore occasionem nanciscerentur tentare quicquam adversus Statum Reipubl. partim ne mutuatitiis uterentur armis & equis, quibus singuli opus haberent. Ut certius turbis obviam iretur, vetitum erat lege publica, ne armati quicquam de Reipubl. ratione consultarent, unde fœcunda motuum materia erat; ideoque nemini de rebus Publicis loqui licebat; sed nomina singulorum Nobilium tabulis inserebantur publicis. Noverat Respublica nostra tunc vires suas. Cos erat virtutis Polonicæ lustrum, dum illa non solùm

ſolùm ferrum, ſed animi quoque acuerentur, & utili Vexatione Nobiles aſſueſcerent artibus militaribus & armis, nec turpi diffluerent otio, peſſimo Reipubl. morbo. Succeſſu temporis, ut rerum omnium fatalis quædam inconſtantia eſt, ita luſtrum quoque in deſpectum abire cœpit, ex quo Nobiles partim divitiis acquirendis magis intenti res publicas privatis poſtpoſuerunt, partim etiam pœna in delinquentes, ſi luſtro abeſſent, valde levis ſtatuta eſt. Utilisſimum illud armorum ſtudium dein fervorem ſuum planè remiſit, & neglectim luſtra peracta, donec tempore InterRegni, quod electione *Henrici Regis* proximè anteceſſit, ſtipulatâ manu luſtrum Reipubl. Proceres ſpoſponderunt. *Fredro. p. 24.* Sciebant probè, primum Conſilium & maximum de Republ. ab armis eſſe: cætera ubique disſimulari, in his unicam ſalutem, efficacisſimam tutelam, & fortis-

tisſimum parari Conſilium. Potenti tamen factione in ambitum alienum & ſuam perniciem ingenioſi Comitiorum autoritatem eò traxerunt, ut, pœnâ priſcis legibus poſita Infamiâ abolita, pecuniaria ſaltem introducta fuerit. Nec defueruut cauſæ & prætextus huic mutationi pernicioſæ, ſervilem conditionem ſapere, ſi Nobiles tantæ & tàm atroci obnoxii eſſent pœnæ; libertati inimicum, Nobiles cogi ad luſtrum metu pœnæ: majorem libertatem eſſe, ſi mitigaretur. Ita reverà legi fraus facta eſt. Interim tamen res adhuc ſalva manſiſſet, ſi pecuniaria illa & levis multatio ab abſentibus diligentèr collecta & extorta fuiſſet, ſed præter conniventiam exactorum ipſi quoque abeſſe maluerunt; ideoque interiit omnis luſtri vigor, maxima potentiæ Reipubl. pars & ſplendidum libertatis ſignum, ſuſpectum omni Imperio abſoluto, quod in Gallia & Hiſpania non toleratur,

ut rectè observavit *Fredro, p. 31.* quia metus regnantibus & Dominis absolutis, ne coëuntes armis cives de libertate pristina quicquam consulerent aut tentarent armis abjicere jugum. Hanc ob causam Romani aliquoties civibus arma ademerunt, ut testatur *Dio. l. 42. Histor. & 44.* & Galliæ quoque Reges, ut narrat *Franc. Gvicciardinus lib. XI. Hist.* singulari studio effecerunt, ut antiqua gentis illius ferocia deficeret, dum plebem dulcedine otii emolliverunt, concessis solis Nobilibus armis & militaribus exercitiis. Postquam olim apud nos lustra finita erant, tunc Nobiles singuli, si Hostis Rempubl. lacessebat, prout facultates permittebant, ternos sexenosque equites armatos in castra ducebant, & proprio militabant ære. Antiquis enim seculis Majores Regum ærario tributa inferre & pecuniam, haud ingenuum ducebant. *Fredro p. 23.* Convocabant autem Reges Nobiles

les pro lubitu, sed cum viderentur abuti obsequio Nobilitatis, eamque crebris interdum non necessariis bellorum incommodis objicere; cautum dein lege publica, ne liceret Regni bellum moliri & facere absque comitiorum consensu; & in Comitiis Varsaviensibus post excessum Sigismundi Augusti statutum, ut Rex absque consensu omnium Ordinum evocationem Generalem Nobilium non indiceret. Constabat exercitus noster equitatu quàm maximè, pedites nulli erant, aut paci. Numerus illorum ad centum millia interdum excrescebat, qui tamdiu sine stipendiis Regi militabant, donec bellum finiebatur. Extra fines Regni tamen ultra quinque milliaria educi non poterant, neque militare Regi tenebantur, nisi cuivis hastato equiti quinas marcas numeraret in stipendium: *Cromer. lib. 19 Histor.* idque in Comitiis Jedlinensibus tempore Vladislai Regis statutum

tutum erat. Rex ipse exercitui præerat, & fines Regni ipse defendebat cum equitatu suo, quo militiæ genere Poloni sæpius vicimus, Germanorum exercitus fugavimus Cruciferos delevimus, Russos repressimus, Turcis metum incussimus, Tartarorum rapinas coërcuimus. Equestrium virium id proprium ait *Tacitus l. de mor. Germ.* cito parare victoriam. Raro autem bella vicinis inferebant, nisi ablata recuperanda erant, aut injuriæ illatæ ultionem exposcebant. Rebus suis contenti utilius provincias suas defendere, quàm parare novas ducebant: rapere eas facilè esse; tueri verò ultra quàm difficillimum: Non magnitudine, sed concordia & recto consilio imperia servari; omnem potestatem, quæ modum supergreditur, etiam si externa vis absit, suâ mole collabi, suisque viribus fatiscere credebant, ut *Tacitus l. de morib. Germ.* non Chaucos, sed Po-

Polonos videatur mihi descripsisse eorumque mores quando ait, *populus inter Germanos Nobilissimus, Chauci, quique magnitudinem suam malint justitiâ tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum, quod ut superiores agant, non per injurias assequantur. Promta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus plurium virorum equorumque, & quiescentibus eadem fama*. Temerè bella inferre nunquam à Polonis probatum est: & prudentèr admodum Amadeus I. Mauriennæ comes apud *Lambert.* von der Burch *Hist. Sabaudic. p. 9.* bella, quæ citra necessitatem ad animi tantum voluptatem susciperentur, infaustum infelicemque ut plurimum habere exitum: *facileque esse cuivis Principi bellum aliquod aggredi; sed eo, postquam susceptum semel fuerit, felicitèr*

& pro voluntate defungi; *id equidem in nullius esse manu.* Ideoque *Saavedra Symb. Pol. 81. Polonos bellicosos* quidem vocavit; *magis tamen ad conservandum, quàm acquirendum studiosos.* An ergo beatitudo civilis in lato & vasto Imperio consistit? Crediderunt olim id Romani, & Lycurgus, qui propterea rectè ab *Aristotele* reprehensus *l. VII. Pol. c. 14.* quod Leges omnes Lacedæmoniorum ad artes militares & bellum direxerit, non considerans, vitam beatam alicujus Reipubl. in Virtute & sufficientia omnium rerum, quæ ad victum pertinent consistere, non in bello, ut *Aristotel. l. VI. Pol. c. XIII.* docet. Sed pergendum porro est. Erant illæ expeditiones Generales lentiores, hinc parum utiles. Ter enim Nobilitas prius convocari debebat intra trium mensium spacium, dimissis quoquo versus per ministros publicos literis, signo Regio munitis, quæ restibus perticæ ob-

oblongæ alligatæ ex eo *restes* dicebantur. *Cromer. l. 16 Histor.* Confluebant ad locum exercitui colligendo destinatum lentè, singuli & inviti quoque. Id quod luculentèr quoque apparuit anno 1621. cum Sigism. III. ad bellum Chocimense Nobilitatem evocasset, quæ si intempore venisset, quis non credidisset, rem magnā peracturam? At tardè omnes è Palatinatibus suis veniebant; & interim elabebatur occasio, quæ in bellis maximum rerum agendarum momentum esse solet. Erant damnosæ quoque expeditiones illæ incolis Regni, nam multum pecuniæ illis impendere cogebantur Nobiles, & quod maximum erat, laborabant exercitus magnitudine, quæ olim victoriam Pompejo perdidit, de quo *Florus l. 4. c. 2.* & Darium Regno spoliavit. *Curtius l. 3. Hist.* Invadebant plerumque numerosum Exercitum fames & pestis. Vidit hæc incommoda expeditionum

GeneraliumJagello, qui primus usus est milite mercenario, equite & pedite, ut *Cromer. l. 2. de rep.* testatur, svadente Aulæ Præfecto, aliis adversantibus. Stipendium militi verò trimestre perexiguum statutum est, equiti decem quatuor floreni numerati. Sigismundus Augustus deinde ex urbanâ plebe & oppidana delectum fecit, & quindecim millia peditum coëgit, quibus stipendia per Præfectos numerari curavit. *Stephanus* Rex in bello contra Moschos Germanum equitem adhibuit, & pedites Hungaros, quos tamen omnes parum acceptos fuisse narrat *Piasecius Chron. p. XI.* quod delicatius tractari, & in melioribus stativis semper collocari voluerint: parum etiam utiles, quia propter intensum frigus & aëris summam inclementiam labores militares & excubias agere non potuerunt. Idem Stephanus Rex præsidia militaria duo millia selectorum & hastatorum equi-

quitum in confiniis Regni adversus Tauricum Chersonesum & Bialogrodiam disposuit, ut excubias agerent, & Tartaris Præcopensibus excursiones prohiberent. Ut enim silentio prætercam gravissimam & Reibubl. nostræ penè internecinam excursionem, quam Tartari fecerant anno 1240. & Russiâ subjugata, fusis aliquoties Polonorum copiis, Craoviâ exusta, ad Lignicium usque Silesiæ oppidum cladem intulerant, magnâque strage Christianos affecerant, de qua *Cromerus l. 8. Hist. Alex Gvagnimus Tom. 1. Histor. Jacob. Schirkfus Chron. Silel. l. 2. c. 4. M. Zuer. Boxhorn. Hist. univers. anno 1212. p. 778. seqq. & alii.* Ita sub *Lescone Nigro* è Polonia tantam prædam hominum fame domestica stimulati abegerant, ut, cum eam apud Wladimiriam recognoscerent, & inter se partirentur, viginti duo millia innuptarum puellarum numeraverint. *Cromer. l. 10. Hist.* Ita sub *Si-*

gism. I. Rege in Podoliam Russiamque irruptionem fecerant, & in Tauricam circiter quinquaginta hominum millia secum traxerant. *Bernh. Vapovius in fragm.* Recens maximè exemplum stimulum addebat Stephano, quod post discessum Henrici Regis in Galliam rapaces illæ Harpyjæ Podoliam Regionem omnium fertilissimam invaserant, & in captivitatem novendecim hominum utriusque sexus, pecudum ultra quadraginta millia abegerant. *Fredro. p. 276.* Movebant hæ rapinæ Stephanum, ut duo millia hastatorum equitum in finibus Podoliæ collocaret, qui Tartarorum invasiones repellerent; illisque in stipendium, quo fideliorem navarent Reipubl. operam, in Comitiis Warsaviæ anno 1562. quartam partem censuum fisci Regii perpetuò assignavit. Dicti sunt propterea *Quartiani*, de quibus *Stanisl. Kobierzycky Hist. obsid. Clari mont. p. 15.*

p. 15. Tenebatur enim Rex Poloniæ legibus Regni, suis impensis pericula, si quæ fortuito in finibus Regni accidebant, propulsare. Ideoque Stephanus Rex quartam redituum Regiorum partem in Castro Ravensi deponi curavit lege in Comitiis lata, & in hujusmodi præsidia dispensari jussit. Idem Rex postea saluberrimo Reipubl. consilio delectum fecit in Oppidis, & coloniis suis, ut nimirum vigesimus quisque colonus pedes militaret & eadem ratione multa peditum millia legit: quæ tamen ratio hodiè in desvetudinem abivit. Idem securitati Regni per quam egregiè consuluit, ex quo *Cosacos* latrociniis magis deditos, quàm legitimo bello, nec ulla disciplinâ militari cohærentes, levi stipendio conduxit, gentem robustam & validam, plus arma, quàm aratrum excolentem. Fuerunt tum temporis illorum ad quadraginta millia, qui ab insulis illis Saporahi

dictis, *Saporobiani s. Insulares dicti* sunt, aut *Saporoviani*. Illis Stephanus Rex dedit castrum Techtimiroco cum territorio situm ad ripas Borysthenis viginti infra Kioviam milliaribus, ut sedem ibi certam, & bellicorum apparatuum receptaculum haberent, sensimque civilem discerent colere vitam. Dedit illis quoque potestatem eligendi Ducem, quem vellent, sed illum confirmaret Rex Poloniæ. Scripta sunt eorum sex millia in militiam, quibus stipendia solvit, ut perpetuo excubias agerent ad Borysthenis ripas & Tartarorum latrocinia & plagia inhiberent. Egressi enim Tartari æstate angustias Præcopenses in campis ad ripas Borysthenis & paludem Mæotidis fertilissimis simul atque vastissimis vagari solent, & ibi cum familiis suis & pecoribus sub tentoriis degere. Inde vel in Muscoviam, si placet, vel trajecto Borysthene in Podoliam & Russiam excurrere, & prædas agere solent.

solent. Ut itaque in posterum illas excursiones intermittere cogerentur, Rex Stephanus Cosacos opposuit. Reliqui verò Cosaci, qui non excubias agebant, in campis & finibus Poloniæ hyemali tempore errabant, relicto in Insulis Zaporovianis præsidio. Æstate ad insulas illas iterum convolabant, & parvis navigiis non dubitabant Pontum Euxinum ingredi, & longè lateque vagari, ipsique Constantinopoli imminere, & terrorem incutere. Operæ pretium, adjungere illorum excursiones maritimas, quia præter exemplum, & plerisque ignotæ sunt. Decurrit fluvius Borysthenis è finibus Moschoviæ, per Severienses & Lithvaniæ provincias, & demum per Russiam albam & Kioviam, innumeris minorum fluminum aquis auctus: ubi secundo cursu infra Kioviam 50. milliar. German. est præterlapsus, offendit in quodam scopuloso flexu Polonicè *Porobi* vocita-

to,ex quo per ſaxa multis intervallis prærupta quaſi per gradus delabitur,ac in plano diffuſus inque plures alveos diviſus ſeptuaginta Inſulas alluit,quæ à dictis gradibus decurrentium fluctuum *Zaporabi* qv. ultra gradus,nomen habent,& Koſaci inde,quod in illis Inſulis habitent *Saporobiani.* Incredibile eſt, Hominem ſine nocumento illac tranſire, non nulli graduum aliquot ulnas alti, unde impetu decidentes aquæ inter ſe colluctantur, jam in fundo revolutæ, jam in alto ſpumantes, undarum iras loquuntur. Coſaccis tamen deſcenſus eſt ſine periculo, & exinde apparet, audaciam & auſum poſſe imperare periculis. Tiliam arborem craſſitie præſtantam cædunt, & naturâ ad omnem flexum facillimam, ſolidum ejus truncum excavant, & tepefactum arte in latum & concavum cogunt, & ex eo lembū componunt triginta, quadraginta aut ſexaginta virorum capacē.

Illum

Illum dein intus corio muniunt, & lateribus navigii arundinis cumulos undiquaque alligant, quo fluctibus irati maris facilius ſuperanatent. Iſtis celocibus in Pontum Euxinum invehuntur,qui ab illis inſulis triginta milliaribus diſtat, fauces maris, quæ à Turcico præſidio Oczakoviæ cuſtodiuntur, fruſtrà repugnantibus Turcis, quia oſtium Ponti ultra duo milliaria Germanica latum,medio alveo intrant. Ubi anguſtias illas emenſi,Ponto Euxino errant,ad littora Aſiæ, quæ nunc Natolia dicitur, milites exponunt, præter cuſtodias ſervandis navigiis aptas: & non raró egreſſi in continentem juſto quaſi exercitu prælio cum hoſte decertant. Ita Trapezuntium anno 1616. diripuerunt: anno 1614. Synopen urbem expugnarunt, ſuburbia Conſtantinopolitana invaſerunt quoque & expilârunt. Unde *Amaruthis Turcarum Imperatoris dictū,cum inter arma Principum in ſe*

con-

conspirantium Constantinopoli degens in utramque tamen dormiret aurem, solos Cosacos esse ejectamenta Polonorum, quæ tanti Principis turbaret somnum. Classem Turcicam & Triremes non rarò profligant, & persequi audent: si resistere majori violentiæ non possunt, in vadosa loca, quæ in illo mari longè lateque latent, celoces adigunt, quo majoribus suis navibus eniti non possunt Turcæ. Hæc est Cosacorum militia maritima. Neque minus præstant militia terrestri. Ad bella pro subsidio vocati, ait *Fredro p. 270.* adsunt, nec levitèr officium præstant. Arma illis arcus, acinaces, aut sclopi, sed hi frequentius. Insueta bellandi ratio, audaciâ, tumultu, inediâ malorum, patientia hostem vincunt, cum minus sperantur, adsunt, ac inter inopinata maximè metuendi. Imbre turbida nox, tenebris obscura, quo tempore bestiæ cubilibus & homines se continent, & quiescunt, il-

lis

lis per conticinium invadendo accommodatissima; licet non invadunt, quietem tamen castrorum turbant, alia parte clamorem excitant, altera insidiantur; periculosissimum verò, quia multa per stadia furtim proni inter gramina repende castra invadunt, & sæpius fallunt excubitores. Sparsim & sine ordine pugnant, illud tamen servant, ut signo dato in medio prælio uno velut ictu & motu in globum coëant. Aggeres cum gradiuntur, elevant, ut cum cedere opus sit, eò se recipiant, inter fossas eminus rem acturi: frontem ictus dirigendi certissimi, terga rudes occupant, alios atque alios sclopos onerant, jaculando præparant, primis porrigunt; hi verò jaculari hostem ferire conantur: certi autem ictuum, cum minimas volucres jaculando quærunt, & habent: parva illis castrorum impedimenta, carros secum trahunt, magis pro defensione (vulgò Tabor) quàm

quàm pro commoditate & deliciis castrorum; interclusi pro vallo utuntur; sic contra equitatum mediis in campis tuti, nec facilè disturbantur; in itinere flumina nullâ difficultate transeunt; tranant enim super utres, aut armis tergori superpositis equorum tranantium caudas prehendunt, impedimenta item miris inventis transvehentes super fasces arundinum aut trabes. Hæc terrestris militia Cosaccorum. Hoc milite florebat Respublica nostra, si Turca bellum minaretur, Cosaccos in Pontum Euxinum mittebamus: si Tartari invasionem meditarentur, illis eorum conatus infringere poteramus. Tantâ autoritate verò valebat Stephanus Rex apud Cosaccos, ut eorum Ducem, violatæ pacis à Turcis accusatum, quod injussu ejus mare nigrum infestũ reddidisset, & præsidium Turcicum in Taurica expugnasset, non dubitavit capite plectere; vocat illum Johannem Podkovam

kovam *Piasecius Chron. p. 53.* quem tantis præditum fuisse viribus refert *Demetr. Sulicovius in comment. rer. Polon. p. 105. ut inter digitos equorum soleas ferreas frangere potuerit.* Quales sint milites Cosacci, ostendit hoc, quod anno 1621. per media Turcorum agmina ad castra Chocimensia ægrè evaserunt; in quibus egregiè navarunt operam suam. Permanserunt in fide, & Reipublicæ nostræ levi stipendio, at summo cum fructu militarunt usque ad tempora *Vladislai IV. Regis*, donec *anno 1638.* adversus Rempubl tumultuari cœperunt. Causæ seditionis variæ, inter quas prima fuit erectio propugnaculi Hudak, quod ad ripas Borysthenis commodo loco ad coërcendam Cosacorum licentiam Koniecpolscius publico sumtu posuerat; reverà tamen, ut consulerent Nobiles Poloni securitati & possessionibus suis fundisque, quos emtione alii, plurimi interque eos Koniecpol-

polſcius liberalitate Regis ſibi acquiſiverant admodum amplos, frendentibus & ægrè ferentibus admodum Coſaccis, quibus illas regiones Stephanus Rex donaverat. Ne vero tantâ laceſſiti temerè injuria quicquam tentarent, arces erigebantur. Juſtus quidem erat metus, ne Coſacci aliquando occaſionem nacti adverſus Rempubl. inſurgerent; quia non ſolùm numero, ſed armis quoque valebant. Remedia tamen, quæ huic periculo imminenti ire adverſum debebant, quia nimis violenta erant, importuna quoque fuerunt. Homines enim armatos uno impetu inermes reddere, quid hæc erat aliud, quam irritare crabrones? Coſacci itaque, quid vellent Polonorum machinæ, optimè olfecerant, ideoque deleto præſidio & operariis trucidatis munimenta, jugum aliquando impoſitura, funditùs diruerunt. Excitatis tamen rurſus munitionibus & Koniecpolſcio magna mi-

litum manu illis imminente, Coſacci arma quoque ſumere & hoſti obviam ire cœperunt: qui tamen à Potocio in anguſtias redacti ob penuriam commeatus fidem denuò Reipubl. jurare coacti ſunt, quem tamen non ſervarunt. *Piaſecius Chron. p. 495.* factum id anno 1637. & obtruncatus eſt Dux illorum Paulutus & alii quatuor primarii rebellionis autores. Dein extincto anno ſequenti Uladislao Rege venenum illud ſeditionis vehementius ſuppullulavit. Injuriæ enim, quæ à præfectis Regiis quotidiè illis inferebantur, intolerandæ Judæorum rapinæ, (locaverant Nobiles plerique fundos Judæis inſatiabili avaritia augendis poſſeſſionum cenſibus aſſvetis) animos exulceratos Coſaccorum reddiderant. Accedebat, quod ademto illis à Rege coquendi cereviſiam & ſpiritum vini jure, inque Judæos translato, Coſacci admodum carè à Judæis Spiritum vini

vini potum illi genti omni nectare suaviorem, emere cogerentur. Maxima causa erat, quod perniciosis Jesuitarum consiliis, quia omnes erant Græcæ religionis, templa illis clausa, & per vim introducta sacra Pontificia. Res itaque ad seditionem & bellum civile spectabant: deerat tamen Dux rebellibus. Accidit dein infelici Reipubl. nostræ fato, ut Bogdan Chmielnicky cum tam diu præfectorum insolentiam perpessus, donec abesset libido (temeraverant enim ejus uxorem & filiæ pudicitiam) tàm atroci affectus injuriâ Cosaccos rebellionis avidos facilè ad seditionem traxerit. Natum hinc ferale bellum, crudele non minus, quam autoribus mali funestum; cujus Historiam accuratè *descripsit Joachimus Pastorius Histor. belli Scythic. Cosacc.* Hi sunt fructus irritatæ plebis, qui ex consiliis Jesuitarum ineptis ortum maximè sumserunt. Exin Cosaccos olim milites non

non solùm fidos, sed fortes quoque nunc hostes habemus, aut parum sinceros amicos, neque ulla spes apparet, fore, ut ad pristinam redigantur obedientiam. Narravimus hactenus, quo militiæ genere olim Respubl. nostra bella gesserit, & propulsaverit, olim domesticis quidem solùm & lectis, hodiè stipendiariis, domesticis & peregrinis. Nunc perlustrabimus paulum *Simonis Staravolscii*, descriptionem militiæ Polonicæ satis accuratam, & eo veritatis studio delineatam, ut videatur peccasse in patriam, dum arcana Reip., quæ tegenda erant, nimis studiosè & temere propalavit. Notandum verò est, quamvis Respubl. cœperit mercenario milite bellare; nihilominus *generales* illas expeditiones nobilitatis neutiquâ esse sublatas; sed si necessitas & salus Reip. exigat, convocari, si hostis sit ita potens, ut milite mercenario illi resisti non possit, quod factum anno 1611. in-

in bello Chocimensi, & nuper aliquoties. Dein militia nostra magis ad defensionem, quàm ad occupationem apta & expugnationem urbium, quia equitatu magnâ ex parte constat: qui in apertis campis excurrere, & hostem crebris & improvisis velitationibus lacessere solet. Sunt illi equites omnes mercenarii, partim domi lecti, partim foris. Quod militiam illam mercenariam attinet, vulgò apud omnes populos in usu esse, qui monarchico & herili dominatu reguntur. Ita olim ab Imperatoribus Romanis factum: ita hodiè apud Hispanos, Gallos, Venetos & Turcas, aliosque, prout Reipubl. Statns exigit. Scotos tamen antequam Angliæ Regno uniti sunt, nunquam milite mercenario usos fuisse, testatur *Georgius Buchanan. l. XVI. Histor. Scotic.* ubi simul recenset militiæ mercenariæ incommoda sic satis doctè & novissimè *Hermann. Conringius not.*

not. ad Machiav. Princ. Caput XII. Poloni milite mercenario non ideo utuntur, quia herili imperio reguntur, quale nullum agnoscimus; sed quod malint privatas magis curare res, & otio indulgere. Sunt militiæ mercenariæ haut parva incommoda. Primò enim non rarò fieri solet, ut cum pedestris militia foris & apud Germanos querenda sit à Polonis, ut consensus negetur, quemadmodum tempore belli Chocimensis factum est, Ferdinandus enim III. Imperator Sigism. III. delectum militum in Germania negavit parum justo facinore, quia adversus Turcas illo milite opus habebat. vid. *Piasecius Chron. p. 340.* Alterum militiæ mercenariæ incommodum est, quod ad illam conducendam & alendam sumtus magni requirantur: quos experta est Polonia nostra anno 1613. imprimis, cum post expeditionem Muscoviticam miles stipendia postularet, & debitorum summa ad

centies centena millia aureorum ascenderet. Refert autem *Piasecius Chron. p. 284.* partim donatione Ecclesiasticorum, partim tributis ex agris solito majoribus, & novis tributorum generibus inventis illam pecuniam corrasam esse, cum admiratione omnium, etiam externorum, qui judicabant, nullâ ratione in Polonia tantam vim pecuniæ conquiri potuisse, in quâ conferenda ditissima quævis Regna laborarent. Idem malum exagitavit nuper admodum Poloniam, non absque exiguo belli civilis metu. Huic incommodo accedit & alterum, quod milites plerumque tumultum ciere soleant, si solutio stipendii promisso tempore non succedat. Occurrunt in historia passim exempla. Plerumque in exautoratione & dimissione magnum à milite mercenario periculum metuendum. Ut plurimum enim planè non tentari dimissio, interdum difficulter, interdum

dum difficillimè nec absque periculo potest. Conatus id Otman Imperator Turicus, quia omnes Janizaros, quod in bello Chocimensi segnes se admodum exhibuissent, militia arcere voluit & exautorare, novamque instituere: sed magno suo malo, interemtus enim à Janizaris docuit Christianos Principes, vitam & salutem Imperatorum Turcicorum in potestate Janizarorum sitam esse. Vidit in Belgio tumultus illos quoque *Alexander Farnesius*, quia milites jubebatur dimittere à Rege Hisp. & rectè *Strada l. 3. Bell. Belg. dec. 2. rarò absq; militū querelis atq; aliorum terrore damnoq; dissolvitur ingens & vetus exercitus; uti nec magna ædificii moles sine cadentis fragore, vicinarumque ædium noxâ destruitur.* Hæc sunt incommoda militiæ mercenariæ. Melius itaque sibi consulere Rempublicam, si militia utatur domi lectâ mercenaria, verisimile est, quia hæc minus

 peri-

periculosa, dum patriæ militat, & facilius legi potest, quin stipendiis ægrè procedentibus facilius in officio contineri; non tamen semper. Præfert tamen ob has causas militem domesticum *lib. XI. de art. milit. disp. 20. l. 43. Machiavellus, & Joh. Mariana l. 3. de Reg c. VI. & Fredro* narrat *p. 9.* in Comitiis Inter-Regni Henrici à Proceribus vetitum fuisse, ne miles peregrinus scriberetur. Et sanè, si rem ipsam inspicimus, abundè sufficit miles in Poloniâ, & robusta juventus, capiendis armis, si exerceatur, idonea: plus actura ex fide, quia patriæ salus & honos præ oculis. Externus verò miles non fide, non amore agit, sed ideo militat, quia stipendia meret, signa deserit, si ejusdem nationis adventet Hostis, transfuga haberi mavult, quàm nativi sanguinis Hostis. Illud tamen silentio non est prætereundum, quamvis militia mercenaria domi lecta magis præferen-

da sit peregrinæ; illud tamen incommodi quoque habet, quod magis interdum seditionibus laborare soleat: dum omnes ex uno eodemque populo, ideoque sibi invicem noti & amici. Hâc tempestate aliquoties Respubl. jactata est, & nuper admodum, cum miles mercenarius sub prætextu non solutorum stipendiorum magno tumultu nescio quid machinaretur. Auxiliares milites Polonia nullos aut paucos habet in bello, nisi casu necessitatis; si salus Reipubl. manus auxiliares exigat. Ita olim Tartari in auxilium vocati, quibus stipendia annua solvebant Reges Poloniæ, & plerumque eorum opera utebantur adversus Germanos & Cruciferos. Stipendii vero loco solvebantur duo millia vestium è pellibus agninis consutarum, & lanei panni aliquot Anglici, quæ pretium decem millium aureorum non excedebant. Hoc stipendium, quod erat honora-

rium & voluntarium, cum instat tributi exigerent per Legatos Tartari, primus Rex Stephanus negavit: Legatos tamen inviolatos dimisit, quibus olim Skirmundus Litvanorum Dux, cum tributum urgerent nomine Tartarorum Ducis, nares & auriculas amputari, & ita deformes ad penates redire atque nunciare jussit, *desinerent tandem Scythæ apud Litvanos exigere tributum. Albert. Kojaloviz. lib. 3. Histor. Litvan.* Illud tamen incommodi semper sentimus à copiis Tartarorum, quod magis damnum inferre soleant Reipubl. quàm emolumentum aliquod, quia magis pro præda, quàm victoria certant, & magnis quoque latrociniis plagiisque Poloniam infestare solent. Accedit denique, quod omni militiæ auxiliari commune vitium est, ut loco incommodo & tempore nos deserant, aut medio in conflictu cedant, & ordines turbent. Exempla in promptu, & experientia testatur.

tur. Nunquam tamen, quod *Livius ait lib. 25. c. 33.* ita exteris credimus auxiliis, ut non plus nostri roboris, nostrarumque virium in castris habuerimus semper, ideoq; nunquam tali ecclipsi laboravimus, quali multi populi, quorum catalogum texuit *Förstnerus Hypomn. Polit. 2.* Arma, quibus bellum gerunt Poloni, descripsit latè *Staravolscius in equite Polon. & Reipubl. descript. pag. 93.* quæ cominus feriunt, sunt frameæ incurvæ s. acinaces, hastæ, unde milites hastati *Hussari* dicuntur, clavas, quas myrtilla ferrea vocat Sulicovius, Obuch, s. Scheckan Poloni. Frameæ s. falcatienses tantâ præditi esse solent acie, ut loricas galeasque facilè diffindant, acie propemodũ illæsâ, & bonitiate certare videantur cum gladiis Damascenis, de quibus *Johann. Cotovicus & Gabriel Sionita descript. urb. orient. c. 4.* aut Japonensibus, de quibus *B. Varenius c. 19. descript. Japon.* Arma,

ma, quæ eminus feriunt; sunt sagittæ & arcus, tormenta majora, & sclopi, quales sunt carabini & pistolæ. Non disputabimus, an miles hastatus equite cataphracto aut ferentario præstet, & arma, quæ cominus feriunt, illis, quæ eminus; fecit illud *Fredro fragm. polit. c. VII.* ad quem Lectorem dimittimus. Quantus verò militum numerus in expeditionibus generalibus cogi possit, ostendit *Staravolscius p. 94.* (utimur autem editione Conringianâ in quarto) Regem Poloniæ ducenta equitum millia habere posse absque ullis stipendiis & oneribus publicis ærarii; & *Fredro p. 20. asserunt*, ait, *non nulli, ter centena, quadraginta & ultra equitum millia numerari posse; si mota sedibus suis sub signis steterit Nobilitas. Ego, quo magis vero cohæream, millia ducenta, aut parum ultra dixerim: non gravia tamen castris onera, sed manus bello aptas. Boterus relat. de Regn. Pol.* necessitate urgente centum,

tum, Litvaniam LXX. equitum millia colligere posse affirmat. Quicquid sit, certum tamen hoc est, omnes Respublicas Poloniam nostram equitatu superare. Propter illud robur jam olim famâ claruerant Poloni apud Romanos & alios gentes. Hinc *Tacitus l. 3. annal.* Principes Sarmatarum Jazygum (dicuntur hodiè Podlachi] penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti, plebem quoque *& vim equitum, quâ sola valent*, offerebant. Et clarius *lib. 1. Histor. namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra se posita, nihil ad pedestrē pugnam tàm ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit.* Rectè autem notavit Staravolscius, desiderari in illa Nobilium multitudine celeritatem, quia tardè Nobiles conveniant sub signa, & ægrè ab uxoribus liberisque divelli queant, expectantes usque ad tertium edictum, donec pedem moveant. Fortassis

hæc cauſa fuit, quare Respublica noſtra maluerit conducere militem mercenarium. Quod olim *de Germanis Tacitus l. de morib. Germ. Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec juſſi conveniunt, ſed & alter & tertius dies cunctatione coëuntium abſumitur*; illud reverà hodie in Polonia obtinet, ut multa quoque, quæ Tacitus olim de Germanis obſervavit, hodiè de Polonis dici commodè poſſunt. Quomodo peditatus militaris domeſticus è pagis oppidisque legi & utilem Reipubl. navare operam poſſit, prudenter tradunt *Staravolſcius p. 98. & Fredro in frag. Pol. c. 1. p. 70.* Nec dubito, ſi illa conſilia effectum ſuum ſortiantur, nullum penitus in Chriſtiano orbe monarcham Regnum Poloniæ viris & belli viribus æquaturum aut ſuperaturum. Notavit porrò *Staravolſcius*, in qualibet expeditione bellicâ fame laborare exercitum noſtrum, & res jam ad finem felicitèr diductas pro-

propter commeatus inopiam turpitèr deſerere. Verum id univerſalitèr verum non eſt, dein non laltem nobis, ſed omnibus quoque populis & exercitibus peregrinis commune eſt. Poſſit tamen hic morbus facilè tolli, ſi impedimenta caſtrorum, calonum colluvies & equorum tollantur. *Narrat Piaſecius Chron. p. 477.* de expeditione Moſchica Vladislai IV. turbam immenſam caſtra ſequentem, fruges circum latè abſque ullâ lege conſumſiſſe, *perpetuum caſtrorum Polonicorum malum, in quibus ſi adſint decem millia bellatorum, ad minus quinquaginta millia calonum totidemque equorum ſupervacaneorum poſſunt numerari. Idem pag. 462.* anno 1633. cum Vladisl. IV. caſtra Schini exercitus Moſchici Ductoris obſideret, ipſum noſtrum exercitum in ſummâ rei frumentariæ penuria fuiſſe conſtitutum, propter quam plurimos dilapſos. *Inſolens autem ca-*

 ſtra

stra sequentium turba, quæ in annos sufficissent, intra paucos dies consumserat. Observavit hoc vitium recte *Fredro p. 138. Histor.* circa motionem communium armorum. „ difficultas hæc occurrit, cum ta- „ lem exercitum vetamus in par- „ vas aut partes magnas dividi, „ qui campi quæso sufficiant huic „ populo capiendo? ni dividatur, „ qui agri nutriendo? pestis, fa- „ mes amat comitari viris onu- „ stos exercitus; præsertim cum „ singuli Nobilium ultra comi- „ tatum, quem armis capiendis se- „ cum trahunt necessariũ, decenos „ vicenosq; viros, totidem equos, „ paulò potiores currus post se „ ducant. Cur non sufficeret unus „ currus, victui devehendo aptus, „ aut saltem tot bijugi, quot equi „ armati? duo item famuli in lo- „ cum cæsorum substituendi, reli- „ qua turba frumento & pabulo „ consumendo apta, semovenda, „ ne

ne patriis sit oneri agris. Pru- „ dentèr, ut solet, omnia. Sanè non in numeroso exercitu momentum belli situm est; quin interdum plus obest & impedit victoriam, ut rectè *Curtius* dixerit. *l. 3. de Darii exercitu, nec quicquam Dario minus, quam multitudo militum defuit.* Inconsulta res est, sub unum fortunæ ictum totas Regni vires cadere pati. Elegantèr *Parmensis apud Fam. Stradam dec. 2. bell. Belgic. l. 6. non semper ingentes belli copias expetendas; non magis quàm ingentia corpora magnis plerumque morbis obnoxia, carius ali solita, motuq; tardiora, & accipiendo vulneri latius porrecta.* Pecuniam nervum belli esse, docet tritum proverbium. Nunquam tamen in Polonia pecunia parata in ærario, ut ipse quoque fatetur Staravolscius, sed tum demum, cum per Comitia bellum indicitur, Provincialibus imponitur, vectigaliaque diversa & tributa bello finiendo suffi-

 cien-

cientia statuuntur. Quia tamen tarde, vel non ex integro conferri solent collectæ, miles minus obsequens esse solet, interdum in perniciem patriæ quoque seditiones funestas moliri. Exempla frequentia in historia nostra. Et exteris quoq; idem cometa fulsit. vid. *Strada lib. 7. 8. 9. dec. 1. Bell Belg. Grotius l. VII. annal. Belgic.* Defendere conatur quidem illum defectum *Fredro p. 249. fragm. Pol.* à paratâ pecunia insolescere majestatem, bella è bellis serere, & Rempublicam periculo implicare; argumenta plausibilia & ad pompam magis, quàm vera. Majus sanè periculum à milite seditioso ob defectum solutionis, quàm à Majestate opibus pollente extimescendum. Rex Poloniæ noster bella è bellis serere non potest, quia bellum indicere aut gerere non est in Regis potestate. Rectius *Campanella c. 16. Monarch. Hispan. habeat Princeps semper paratam pecuni-*

cuniam; difficile enim est & periculosum præsertim flagrante bello expectare, dum nummi colligantur. itaq; Reipubl. saluti melius consulit, dum pecuniam ordinatè magis colligi; &, cum nullum bellum, moderatè imponi, inque ærario servari debere svadet.

Quantum ad munimenta, quæ præcipuum robur alicui provinciæ conciliant, nulla nobis sunt aut à natura, aut ab arte, præter aliquot privatorum castella. *Cromerus l. 3. Hist.* ait, pagis atque oppidis nulla arte munitis Russi & Poloni & omnes ferè Septentrionales populi antiquitùs habitarunt. Sicuti *Tacitus l. de mor. Germ.* nullas urbes habitant, nec patiuntur inter se junctas sedes: ita Nobiles Poloniæ colunt discreti & diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Causa verò nulla alia, quare munimentis urbes non cinxerint, quia Poloni equo assveti bellare, ad pedestrem mi-

militiam minus apti sint, sine quâ munimenta haud rectè subsistunt. Nihil ad pedestrem pugnam tàm ignavum esse Sarmatis *Tacit. l. 1. Hist.* dicit. Quo rariora fortalitia in Polonia, eo securiorem esse intus & foris Rempubl. nostram, testatum est nuper bellum Suecicum; quo rariora enim erant fortalitia, minora inibi capiebat hostis incrementa, nec sedem firmam figere poterat, crebris nostrorum lacessitus incursionibus. Et hac ratione munimenta in Polonia parum necessaria videntur. Quia etiam miles noster domesticus munimentis occupandis aut defendendis idoneus non est, ideoque nec consultum Reipubl. quia aliàs exterorum fidei credenda essent fortalitia. At exteris credera munimenta, quid hoc est aliud, quam patriæ salutem periculo exponere? Sexcenta sunt exempla in Historiis, quibus exterorum fides fluxa & incerta reperta est. Ubi arces, tuis

tuis præsidiis munitas, hosti in tuam perniciem vendiderunt, aut res suas promovendo, tuas neglexerunt, & privatæ ambitioni faces prætulerunt. Et hac ratione *Barclajus l. 3. Arg. c. VI.* munitionum in Galliâ numerum nimium causam esse defectionum dixit. Maximè tamen necessaria esse munimenta Reipublicæ, tradunt *Aristotel. lib. VII. Pol. c. XI. Scipio Ammiratus l. 19. disser. ad Tac. 4. & ex eo Lud. Septalius l. 2. de Rat. Stat. 26.* Non negamus utilitatem arcium munitarum, illud in quæstione, an Poloniæ munimenta necessaria sint? & prudens quivis affirmabit ob duas rationes, quia Respubl. nostra patet rapinis hostium, qui excurrere possunt, quaqua velint. Hæc causa, quare à Tartaris toties damnum passi sumus. Si enim arx quædam aut plures commodè erectæ & munitæ ad fines Regni versus Bialogrodiam essent, aut incursiones Tartarorum & Cosacorum pro-

prohiberi, aut reditus retardari, prædaque è manibus excuti facilè posset. Dein si exercitùs noster profligatur, non facilè se colligere potest, præsertim si Hostis persequatur victoriam, adeoque Respubl. non exiguo exponitur periculo. Vidit hoc malum Sparta olim, quæ ex præcepto Lycurgi nullis cincta muris per multa secula steterat; cum autem ex clade Leuctricâ fractæ essent civitatis vires, & Epaminondas hostili immineret exercitu Reipubl. Coacti sunt tumultuario opere locis incursionibus hostilibus maximè patentibus murum excitare; à quo tempore deinceps maluerunt moenibus includi, quàm hostium ludibrio exponi. Ita *Emmius de Repub. Lacon. p. 115.* Virtute virorum fortium munita Respubl. præstat equidem; potest tamen illa virtus aut degenerare, dum voluptates prævalent, aut etiam numerus virorum fortium deficere. Benè itaque *Fredro Pol. fragm.*

fragm. p. 254. monuit, extruenda esse munimenta in singulis provinciis, eâ cautione, ut vernaculis præfectis & cohortibus in custodiam dentur, tum ut sufficientibus præsidiis & commeatu muniantur, ut eò pignora sua convehat Nobilitas abitura in castra. Notandum denique, Reges, si Nobilitas militat, castris necessariò interesse debere; secus si militibus mercenariis res agatur. Postulat simplicitèr Mariana, Principem bello interesse debere, quæ tamen sententia non caret periculo. *l. 3. de Reg. c. 6.* Exercitus nostri magis ad terrorem hostium, quàm pompam compositi esse solent. Vix credibilia sunt, quæ *Curtius l. 3. de exercitu Darii* narrat. Cum *Carolus pugnax Dux Burgundiæ* temerè Helvetiis moveret bellum, missi sunt ad illum Helvetiorum Legati, qui inter alia demonstrarunt *tantam esse inopiam Helvetiorum, ut calcaria & equorum fræna per exercitum*

citum Caroli deberent pluris æstimari, quam omnis pecunia, quæ ex agris ipsorum colligatur. Cominæus. l. VII. comment. Supellectilem, quam amisit Carolus in clade prima tricies centenis aureorum liliorum millibus æstimatum esse *tradit Pontus Heuterus l. V. Hist. Burgund. p. m. 433.* Amisisse ex rebus pretiosis, quantum nemo valeat æstimare, narrat *Jac. Meyerus annal. Flandr. l. XVII.* ubi exclamat rectè, *equidem valdè admiror, cur barbarum hunc morem omnes ferè Principes servent, ut charissima quæque & pretiosissima una secum portent in prælia.* Ea sanè non est Polonorum nostrorum mens, quin illis dorsum ursi aut lyncis magis pro decore hebetur, quàm galeæ aut thoraces aurei. Plura adhuc addi possent; quia tamen præcipua, quæ ad hoc Caput pertinent, narravimus, ad alia purgemus. De potestate tamen fœdera pangendi pauca adjicienda fuissent; competit illud

lud jus Comitiis, non Regi, quia tamen raro fœdera nos inimus, aut cum nobis ineuntur, ideoque parum necessarium est, de illis tractare.

CAPUT X.

De Vectigalibus & Tributis.

T*Acitus olim lib. IV. Histor.* Nec quies gentium sine armis, nec sine stipendiis arma; neque stipendia sine tributis haberi queunt. Honestum esse, atque etiam præceptum conscientiam obligans, tributum dare, *Paulus ad Rom. 13. v. 3. 4. & Augustinus l. XXII, contra Faustum. c. 74. ut militi stipendia dentur, tributa esse necessaria dixit. vid. Grotius l. 1. de jur. bell. & pac. c. 2. n. VII.* Potestas itaque tributa indicendi, & illorum necessitas ex his dictis satis apparet. Illud notandum, quod Poloniã

loniâ attinet, Regi nullam esse potestatem indicendi tributa, sed Ordinibus illud jus competere. Vectigalia quoque nova instituere Rex non potest absque Ordinum consensu. Est autem apud nos primarium vectigal Salis & frumenti; perinde ut apud Gallos Salis & vini. Illi salem marinum habēt, nos fossilem, aut gemmeum, ut vocat *Barthol. Morisottus l. 2. orb. marit. c. 43.* qualem haud temerè alibi reperias in tantâ copia. Inventæ autem sunt salis illius fodinæ apud Bochnam & Veliscam anno 1252. in Polonia minori, precibus Cunigundis, uxoris Boleslai, ut creditur. Exscinduntur verò ingentes salis moles altissimis & latè sub terrâ patentibus cavernis, tantâ copia, ut non tantum Poloniæ, sed Silesiæ quoque & Moraviæ vicinæ sufficiant. vid. *Cromer. l. 1. de Rep. & lib. 9. Hist. ubi latè. Cellarius descript. Polon. p. 172. Autor. Polon. defens. p. 51.* Factitium salem &

& coctilem Russia suppeditat, hausta è profundis puteis aqua salsa, qualis apud Magdeburgum in Germania & Lüneburgum. Major verò fisco Regio proventus accederet, ni gratuitum Nobilitas salem acciperet. Statis enim temporibus (est hæc Nobilium prærogativa) aliquanto minoris emit salem, quàm cæteri. Vid. *Autor Polon. defens. l. c. & Salom. Neugebauer. Histor. Pol. lib. 1.* Graviter queritur *Gramondus lib. V. Histor.* quod salem tanto pretio & Galli ipsi & exteri quoque emere cogantur. *Salis usum per abusum venalem esse; hinc salinarias leges per quas sal, naturæ donum, venale prostat, pretio toties aucto, quoties pecunia nova opus. Adeone ipsa elementa tributo subjacent?* Sed actum agit. Habet enim hæc Philosophia nullum hodiè apud Reges locum. Res quidem honesta esset, & laude digna, si Princeps illis rebus nullam tributum imponat, quas natura largitur

gitur gratis hominibus: quia tamen Regibus opus est magnis sumtibus ideoque & salis usus in societatem vectigalium tractus est; unde Regi Poloniæ, Galliæ, Hispaniæ & Lusitaniæ magnus proventus. Eleganter *Bodinus l. VI. de Republ. c. 2. siquis de me scire velit, quodnam genus vectigalium Deo gratissimum, civitatibus pulcerrimum, Principibus honestissimum, plebi utilissimum videatur; illud est: quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant, aurea, inquam, & argentea supellex, colores, pigmenta, innumerabilia vestium ornamenta, colores pretiotissimi, gemmæ, margaritæ, cæteraque generis ejusdem, quæ prohibenda non sunt, nec si velis, possis.* Eundem in sensum *Mariana l. 3. de Rege. c. VII.* ab illis rebus vectigal modicum exigere debere Reges, quas natura ad victum dedit hominibus; curiosæ verò merces supplere de-

debent defectum, ut sunt saccharum, aromata, vinum generosum & alia. Ut importationem rerum ludicrarum, & quæ luxuriem stimulant, averteret à Republ. Laconum Lycurgus, usum monetæ aureæ & argenteæ sustulit, & ferreos grandes nummos cudi jussit. Hollandia sanè nullibi magis, quàm in Polonia, aromata sua, quæ ex India advexit, majori lucro vendit. Italia sericum Polonis mittit, cujus promiscuus & perpetuus inter Nobiles usus. Hungaria nobis vinum generosum propinat, ipsa vappam bibit. Possit Polonia carere illis rebus, quæ ad nihil aliud prosunt, quàm ut pecuniam temerè dilapident & profundant cives, ut luxuriam provehant, & cives magis reddant gulæ aut superbiæ attentos, quàm saluti Reipubl. & bello. Rectè tamen illis gulæ irritamentis magna imposita sunt Vectigalia. Tributa in Polonia non Rex, sed Comitia indicunt,

augent, mutant. Refert *Cromerus* & *Neugebauerus l.1 Hist. Pol.* genera tributorum, quæ in Polonia in usu sunt. Olim si quando expeditione bellicâ graviori adversus vim externam imminentem Reipubl. opus erat, solebant Reges tributum ex agris à possessoribus per exactores publicos colligere. Manet id genus hodieque, ut pro singulis *laneis* & *mansis*, (ita Cromerus passim) contribuere soleant certam pecuniæ summam fisco Regio. Germani vocant **Huben Gelder**. Est & genus tributi perpetuum ferè, quod oppidani pro fundis ædium solvunt, dicuntur germanis **Feuermäuer Gelder**. Pro cerevisiam coquendi jure itidem tributum, *schappowe* Polonis dictum, fisco numerant Regio. Duæ in primis tributorum species Romanis quoque usitatæ olim, adhuc in Poloniâ exiguntur, sunt verò *Donativum*, & *Capitatio*. De Donativis *Tacitus l. 1. Histor.* & alibi me-

memorat, militibus dari solita; adeoque Imperatores Romani ipsi largiti sunt militibus donativa, ut eò streniorem navarent operam. In Polonia alia hujus vocabuli significatio. Mitis quidem & urbana vox est Donativum, ut apud Athenienses tributa, quo rerum ipsarum mollirent invidiam, *collationes in usum Reipubl.* vocabant. Vexat tamen interdum graviter mercatores, quando è censu omnium bonorum certam, & definitam quantitatem solvere coguntur. Ingentes hinc inter cives rixæ & dissidia, quia multorum opes incognitæ, aut per mercaturam incertæ, suspecta profitentium fides. Ducentesimam è censu apud Batavos exactam esse tempore belli *tradit Hugo Grotius annal. Belgic. lib. 8.* non diu tamen durasse illud tributum propter illas causas; accedebat, quod ditissimi, si bis mille florenos pro ducentesimâ darent, ulteriori professionis

onere levabantur. Hinc querelæ apud pauperes. *Capitatio*, *Germ.* Kopfgeld, olim Romanis usitata quoque; quæ olim per singulos viros & binas mulieres: postea verò binis & ternis viris, mulieribus autem quaternis unius pendendi capitis attributum est. *leg. 10. C. de agricol. & censit.* Ætatis ratio quoque habebatur. Hinc ætatem in censendo significare necesse erat; quia quibusdam ætas tribuebat, ne tributo onerarentur: veluti in Syriis à quatuordecim annis masculi, à duodecim fœminæ usque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligabantur *l. 3. pr. ff. de censib.* Est hodiè apud Turcarum Imperatores in usu, ut capitationem à Christianis exigant. Narrat *Autor trutin. polit. l. 2. c. 21.* incolas Cypri quotannis quintam partem fructuum, & viginti floren. Hollandicos sedecim annorum homines pro religionis exercitio solvere cogi. Et *La-*

zarus Soranzus lib. de milit. cop. Turc. Christianos omnes pro singulis capitibus, ubi 14. ætatis annum attigerunt, Sultaninum unum solvere testatur. In Polonia nuper, cum miles stipendia flagitaret, Capitatio exacta est, nullâ ætatis habita ratione, quia salus Reipubl. alitèr defendi non poterat. Reliqua tributorum genera lubens silentio prætereo. Addendum saltem, *quatenus Clerus in Polonia ab oneribus & tributis publicis exemtus sit, aut esse velit.* Et olim quidem Ecclesiasticus ordo non solùm, sed subditi quoque Clericorum jam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ tributorum immunitate gavisi sunt; superiori verò tempore oppidanos & agrestes suos tributis, quæ Regiis & Equitum subditis imperantur, ultro Clerus subjecit. *Cromer. l. 2. de Rep.* Ipse autem Clerus huc usque immunis esse voluit à tributis. Quo jure Exemtio illa probari

bari possit, an divino, an humano, videbimus. Et Bellarminus quidem ostendere conatus est, jure divino Clericos esse immunes ab omnibus tributis, sed ejus sententia ab aliis satis refutata. Hoc verum est, olim liberalitate Principum hoc illis beneficium concessum, non tamen sine exceptione, quasi illud postulante Reipubl. necessario usu, qui legum omnium & beneficiorum sanctimoniam in se continet, revocari non posset. Ipse *Mariana. l. 1. de Rege. c. X.* Episcopos monet. *ne se nimiū difficiles præbeant, sed pro virili parte Rempubl. & Principem juvent suis & templorum opibus, nam & in eum usum optimè sacratas opes collocari.* Rectè Mariana, quamvis aliàs acritèr jura Cleri defendat. *Saavedra quoque Symb. polit.* 25. rationi consentaneum esse ait, Clerus in casu necessitatis impensis suis publicam egestatem sublevet. *Refert Polydor. Virgilius lib. XVII. Hist. Anglic.*

Edoardum I. Regem, cum vigesimam & decimam redituum partem à Sacerdotibus exigeret tributi nomine, Pontificem Romanum monuisse, ne hoc faceret, & posthac Clero tributa imponeret, quibus jure divino exemtus esset: parum tamen hoc mandatum curasse Regem, ut eorum bona passim publicari vendique jusserit, cum Sacerdotes à Rege ad pecuniam solvendam invitati, per Pontificis præscriptum se hoc facere posse negarent. Exclamavit Robertus Cantuariensis Antistes, *magis Deo, quàm Hominibus obediendū esse.* At verò Christus ipse jusserat Pharisæos reddere Cæsari, quæ Cæsaris erant; & ipse vectigal solvit pro se & Petro. *Matt. XVII. v. 27.* quæ verba egregiè explicat Hieronymus apud *Marsil. Patavin. part. 3 defens. pac. c. 3. p. 130.* Hoc est, quod Paulus dixit *ad Roman. XIII. 3. 4.* tributorum finem esse, ut Potestates Publicæ habeant, unde sumtum faciant

ant ad tuendos bonos & coërcendos malos. Olim fortaſſis, quando nullâ militia mercenariâ bellum gerebatur in Polonia, ab oneribus liberari potuerant Eccleſiaſtici; ex quo autem mercenaria militia introducta eſt, omnes ſanè eadem ſors manere debet, quia pro omnium ſalute miles ſcribitur. Ad bellum aut arma capienda cogi non poſſe Clerum, lex eſt, quæ tamen, ut omnes ejus generis leges, cum ſummæ neceſſitatis exceptione intelligenda eſt, *ut Grotius docet l.* 1. *de jur. bell. & pac. c. V. n. 4.* & ita *Antonius* in Luſitaniâ Monachos ad officia militaria, quanquam non ſine plebis ſcandalo, traxit. *Coneſtag. l. V. de Portug. & Caſtell. conjunct.* Multo autem magis tenentur Clerici tempore neceſſitatis ſuccurrere Reipubl., ſi defectu pecuniæ laboret, & miles ſtipendiarius extrema quæque minetur, ni ſtipendia extemplò ſolvantur. Ita Rhehobeamus Rex Iſraelitarum

tarum

tarum clypeos aureos aliaque theſauro ſacro à Salamone dedicata non dubitavit, pacis publicæ conſervandæ gtatia Regi Ægyptiorum donare, Deo non ſuccenſente. *Mariana l. 1. de Rege c. X. p. 90. Did. Saavedra Symb. 25.* affirmant, templorum divitias, vaſa ſive auro ſint ſive argento gravia, reditus agrorum, decimas annuas Reipubl. eſſe imprimis ſalutaria. At verrùm alitèr ſalutaria non ſunt, niſi ad communem Reipubl. inopiam ſublevandam ſuppeditentur, & neceſſitati auxiliares præbeant manus. Contra verò parum conducibilia ſunt, ſi ad pompam aſſerventur, ſi ſolicita claudantur ſerâ, aut Monachorum palato ſerviant, quorum plerique ad fruges ſaltem conſumere nati, inutilia terræ pondera. Non negamus tamen, eſſe bona ſacra, quæ exemtione meritò gaudeant. Requiruntur enim ſacra bona, ſine quibus ſacra adminiſtrari alitèr re-

ctè

ctè non possunt, & illa bona in alios usus converti nequeunt. Sunt denique alia bona, quæ sacra quidem dicuntur, reverà tamen non sunt, quia absque illis sacra administrari commodè quoque possunt. Sunt illa bona potius sacris noxia, quàm utilia, & ita olim rectè *Sulpitius Severus*, *auro potius destruitur, quàm struitur Ecclesia.* Hinc luxuries Clerum invadere solet, & alia vitia, quæ divitias sequi solent. *Gramondus l. 2 Hist. Gall. graviter*, inquit, *ille, cui ex officio incumbit cura pascendi gregis, vix sui memor, meditatur quodlibet aliud, & qui Episcopus est, sæpè gulonem agit, venatorem aut aulicum, quandoque mensarium. Sic illi vita traducitur conviviis, venatione, luxu aulico, avaritia, ut quemque voluptas trahit, rara pascendarum ovium cura Episcopo, cui pro ovili aula est.* *Et lib. 3. Hist.* de Clero multa dicta esse refert in Comitiis; *ut flexi in abusum antiquiritus; ut pessimè distributi obventus Ecclesiæ, populi sudor & sangvis nempe in venatica, in luxum, in amorem, in augmentum gentis cuique suæ; quadrigas, ephebos, Nobiles, equos phaleratos, auream supellectilem, cæteraque id genus Episcopis esse ad nauseam per ingentes sumtus, dum frigore riget, dum inedia extingvitur pauper. Hinc hæreticis scandalum, & Rom. Sedis contemtum esse, ire in ruinam Ecclesiasticum ordinem, nisi quam primum prospiciatur.* Hæc Gramondus graviter, ut solet. An vera sint, aut in Polonia idem obtineat luxus, lector judicabit. Quia verò in Gallia Clerus non bona saltem necessaria, sed lautissima quoque possidet, ideoque abundè habent, unde genio plus æquo indulgeant. Reditus illius alii ad quadrantem, alii ad semissem extendunt, de qua re videatur *Bodinus l. V. de Republ. c. 2. & Johann. Limnæus Tom. II. Notit. Regn. Franc. lib. 3. c. V.* ubi latè. Iniqua sanè conditio, si tot opulenti redi-

reditus privatis saltem inservirent usibus, nullo exhinc Reipublicæ redundante emolumento. Non dubitavit itaque nuper Ludovicus XIV. Rex Galliæ à Clero ingentem pecuniæ summam exigere, non impetrato consensu Pontificis Rom. cujus necessitatem svasit *Saavedra Symb. Polit. 25.* An verò illæ lautæ Ecclesiæ ditiones & patrimonia ampla, oppida & arces omnino ad cultum divinum & sacrum necessaria sint? quæstio huc pertinet. Certè *Mariana l. 1. de Reg. & Regis instit. c. 8.* non dubitat asserere, *salutem Reipublicæ constare non posse, fundamenta omnia Principatus, salutis & libertatis convelli, si viris sacris oppida auferantur, quasi pondus utile minus, & sacrato ordini parum convenientem curam. Quin si salvi esse velimus,* pergit, *addendum ad autoritatem, ampliori ditione augendos, firmissimas arces credendas.* Si quæras, qualenam periculum metuendum sit

sit, ego nullum video. Num salus Reipubl. dependeat ab hoc, ut Clerici possideant arces firmas? quis sanæ mentis hoc affirmabit? ut non potius svadeat, ne arces illæ Clericis concedantur: quorum officium est, ut sacris, non civilibus negociis intenti sint. Potestatis civilis est, ut Clerum tàm ab injuria internâ quàm externa defendat, non Cleri, ut seipsū munitis locis tueatur. Contra praxin est primitivæ Ecclesiæ, quæ paucis contenta non opus habuit ullis arcibus, florente nihilominus religione Christiana. *At vilem esse in illis locis religionem, ubicumque templorum negligitur cura, ubicumque viri sacrati angustiâ premuntur rei familiaris,* idem urget ridiculè plane. An ergo religio consistit in cultu & splendore templorum? an est cultus divini requisitum necessarium, ut niteant ædes sacræ auro & argento? An apud Ordines, qui vocantur Mendicantes mi-

minor & vilior est religio, quia curta illis supellex, quàm apud Dominicanos aut Jesuitas, quibus plerumque pingues reditus? inepta sanè conclusio. Quod mireris, sui oblitus queritur *Mariana l. 3. de Rege c. 14. præclara sancita passim collabi, in pejus ruere quotidiè mores, revocandum ad pristinum vigorem institutum, ut sacris templorum reditibus alantur pauperes: quod si primis temporibus fieri potuit in tantâ tenuitate; cur modo non fiat, cum jam non mole suâ & vetustate, quam copiis templa laborent fatiscantque.* Hic Clericorum bona diminuit, quæ supra augeri debere contendebat. Sed latius huic controversiæ inhærere, esset desperatæ curationis contrectare vulnera. Sufficiat, *Clerum teneri in Polonia tempore necessitatis publicæ spontè Reipubl. sumtus suppeditare, nec opus esse consensu Romani Pontificis*; cujus nulla in bona Cleri potestas, est Reipublicæ quidem. Hoc in-

insuper notandum, antequam hoc caput finiamus, quamvis tributa interdum dura admodum imposita fuerint in Polonia civibus, non temerè tamen seditionem aliquam motam esse ob tributa; quia enim in Comitiis ab omnibus præscribuntur; ideoque Nobiles citius illa tolerant; oppidani verò, licet nolint, coguntur. Secus factum videmus, ubi solius Principis voluntate & arbitrio populus tributis oneratus est, ibi sæpè graves sensit Respublica tumultus. Centum in historia occurrunt exempla, quorum aliquot refert *Christ. Förstner. not. Pol. ad Tacit. annal. l 4.* ex historiâ Romana & Græca. De Brügensium seditione videatur *Joh. de Bussier l. 9. Hist. Franc. c. 18.* Nota adhuc seditio, quam Neapolis passa est autore Thomâ Aniello anno 1647. excitata. Coactus Pro-Rex omnia tributa, quibus populus immane quantum premebatur, abrogare, de quo lega-

legatur *Nicolai Augustini revolutioni di Napoli Italicè descripta anno 1660.* & *Josephus Riccius narratione rerum Italic. X.* ni fallor. Sensit eosdem motus eodem anno Sicilia, ubi populus Panormitanus à Pro-Rege uno momento abdicationem omnium tributorum extorsit. Neq; aliam ob causam, quamvis non solâ, Belgas ab Hispanis defecisse, quàm ob odiosâ ab Albano decimarū exactionem fatetur ipse *Strada dec. 1. Bell. Belg. lib. VII.* Patuit sanè, quàm acre telum ad rebellandum tributa sint, cum graviora populis aliundè commotis, imperantur.

CA-

CAPUT XI.

De Jure Monetæ.

UT præcipua felicitatis alicujus Reipubl. pars est, si moneta probè se habeat; ita sanè pejus consultum esse non potest illi, quæ hoc destituitur thesauro. Est enim pecunia vehiculum quoddam commerciorum, sine quibus Respublica consistere non potest. Olim Poloni nullos habuerunt nummos, sed permutatione rerum, quod cuique opus fuit, sibi comparaverunt, perinde atque *Aristoteles tradit l. 1. Pol. c. VI.* Frustulis dein argenti & pellibus, cæterarumque rerum permutatione usos fuisse tradit *Alex. Gvagninus. Tom. 1. Hist. Polon.* in Wencesl. Rege, qui primus numisma peregrinum *grossos* scilicet *Bohemicos* in Poloniam invexit. Meminit illorum *Cromerus lib. XI. Histor.* ubi tradit, magistrum equitum Teuthonicorum à Vladislao Loctico *centies mil-*

mille marcas latorum (genus est Bohemici numismatis) *grossorum* poposcisse, Casimirus M. Rex Polon. primus cœpit æs & argentum signare ad exemplum Bohemorum: aureos verò nummos primus Sigismundus Rex bonitate & pondere Ungaricis pares cudi imperavit, ut refert *Salom. Neugebauer. l. 1. Histor. Polon.* Olim enim jus cudendi monetæ apud Regem fuit, qui ex arbitrio numos conflare & signare poterat, aut ex puro ære, aut argento puro; nulla ratio nota erat miscendi metalla, nec tolerabatur, ut jam olim Tacitus Imperator omnem metallorum confusionem prohibuerat sub capitis pœna, *Bodino teste lib. VI. de rep. c. 3.* Potestas cudendi monetam dein restricta fuit tempore Vladislai Jagellonis in Comitiis Jedlinensibus anno 1430. ut Rex monetam absque Senatus sententia non cuderet. *Cromer. lib. 19. Histor.* Non tamen illam legem à successoribus

ribus observatam fuisse, patet inde, quod expressè Episcopus Gosnaniensis Conarscius ad Henricum Valesium Legatus missus, monetam cudere ab unius Regis potestate & voluntate dependere, dixerit, *ut Fredro testatur p. 121. Histor.* Sigismundus III. itaque demum in Comitiis *Varsaviensibus anno* 1632. celebratis renunciavit juri regali signandæ monetæ, quo sincerior in posterum nullo captato lucro cuderetur. *Piasecius Chron. p. 440.* Lege dein ab Ordinibus lata statutum est, ut jus signandæ pecuniæ penes Rempubl. maneret. Fuit autem moneta usq; ad tempora Stephani Batorii optimæ bonitatis, donec tempore Sigismundi III. magno Reip. damno ingens mutatio monetæ facta est. Ita *V. Piasecius l. c. Chron. nimium depravarant monetam monetales Regii, enormia lucra ex ea detrahentes, & in tantum arte tali expilarunt Rempublicam, quod cum initio istius Regis num-*

nummi constarent ex argento justa probitatis, postea veteribus in novos recusis, & indies vilioribus divulgatis. ad extremum non nisi ænei, seu ex ære majori parte & exiguo immisto argento confusi in toto Regno numerarentur. Eundem sanè, si adhuc viveret, hodiè videret Reipubl. morbum Duplex valor monetæ est, *naturalis alter & intrinsecus*, qui ex metalli qualitate & pondere, alter *legalis & extrinsecus*, quem Princeps lege definit, sicut & aliarum mercium pretia. Debet autem uterque justâ proportione inter se cohærere; iniquum enim esset, si quod inter vulgus quinque æstimatur, decem omninò valere debeat. Valor itaque legalis non debet excedere naturalem; alias mercium omnium caritas ingens oritur, non minor certè, quàm quantum de monetæ bonitate detractum est. Pluris enim pecunia non æstimatnr apud mercatores, quam pro bonitate metalli, prout se illa

illa habet. Ita hodiè ulnam panni lanei aut serici pro duodecim florenis cogeris emere, quam olim decem nactus es. Ita mercibus omnibus majus impositum pretium est, quantum de bonitate monetę detractum. Impedimentum commerciorum esse monetam vilem testatur experientia, & queruntur mercatores. Consistunt autem majori ex parte publicæ & privatæ opes Commerciis. Rectè *Saavedra Symb. 69. cum nummi sint velut regula & mensura contractuum, iis variatis patiuntur omnes, perturbantur commercia, & Respubl. quasi extra se ponitur.* Et verò ita se habet reverà. Uti enim cives nullas, nisi quibus necessariò indigent, merces temerè emunt, quia multo majori pretio in defectu melioris monetæ coguntur sibi illas comparare: ita quoque venditores & mercatores, si merces è Germania petere necesse habeant, merces illas moneta nostrâ cuprea emere nequeunt,

unt, nisi magnis datis usuris probam sibi & argenteam comparent. Cessat inde quæstus civium, si emtiones & venditiones infrequentes sunt, unde magna populi pars vivit. Inde vectigalia Regia omni destituuntur lucro, quia commercia silent. Hæc sunt incommoda, quæ oriantur ob monetam, si valor intrinsecus aut extrinsecus se non rectè habeat. Periculum quoque, ne cives motus & tumultum excitent, & Respublica odium in se trahat. Vidit Philippus Pulcher Rex Galliæ, quid mali procreare possit adulterina moneta, qui cum novum quoddam tributum privato nemini in speciem onerosum, reverà cunctis grave & commercio perniciosum excogitasset, ut monetæ materia parte tertia suo pretio minor cuderetur, tanta repente confusio orta est, ut Parisiis plebs furore percita, arma rapuerit, nec prius quieverit, quàm autor peculatus Marinius furca suspensus, quam

quam ipse erigi curaverat. *Alex. Gvagnin. in Philipp. Pulchro & Joh. de Bussier. l. 9. Histor. Franc.* Gravem in Scotia ex depravato numismate tumultum ortum esse refert, *Georg. Buchananus lib. XII. Hist. Scotic.* plures refert *Saavedra Symb. Pol. 69. p. 594.* Si verò prava pecunia penitus abrogetur, aut pretium mutetur & minuatur, quis non videat, utrumq; cum magno incolarum damno conjunctum esse? Ita nuper in Hispania, qui in monetâ cuprea habuit quindecim mille reales, vocant Germani, Stück von achten/ hodie vix quinque habet, postquam pretium minus Constitutum à Rege. Ita ex quo usus Schillingorum Walachicorum prohibitus est in Polonia, multi mercatores illam legem cum damno sentiunt. Nuper Muscovia exemplum illustre quoque dedit Rebuspubl. quam intutum sit, monetam adulterare. Et hæ rationes movere possunt Principem, ne un-

unquam valorem monetæ augeat ultra bonitatem metalli, aut parum probos cudi permittat nummos. Quia tamen ſalus Reipubl. ſuprema lex eſt, ideoque interdum ad illa extrema cogitur fugere Reſpubl. inprimis ſi deficiente pecuniâ miles ſtipendiarius ſolutionem flagitet. Et hac ratione rectè ait *Mariana l. 3. de Rege c. 8. remedia potius omnia extrema tentanda, ſi hoſtis ingruat, & deſit pecunia, quàm ad hoc extremum veniatur, ut pecunia adulteretur. Si ſuprema adſit anguſtia, & publica ſalus veniat in periculum, nec cives, quorum res agitur, in conventum cogi poſſint, quemadmodum Princeps alia ſubditorum bona poteſt in publicos uſus convertere; ita poterit metalla miſcere, de pondere decerpere partem, ut licentia tamen adulterandi cum bello finiatur, dein prava moneta, quam invexit neceſſitas, tranſacta continuò antiquetur, pro illa bona fide poſſeſſoribus legitima & vetus reponatur.*

Verba ſanè & conſilia notatu digna, quæ tamen hodiè vix locum inveniunt. Olim quidem Fridericus II. Imperator, cum in obſidione Faventinâ propter defectum pecuniæ nummos coriaceos cudi juſſiſſet, omnes illos dein aureis commutavit, ut refert *Pandulph. Collenutius lib. 4. Hiſtor. Neapol.* & Batavi in obſidione Leidenſi nummos papyraceos argenteis & aliis mutarunt; idem in Polonia magis ſperare, quàm facere licet. Illud etiam obſervandum, haud parum periclitari famam Principis & autoritatem, ſi nummos cudi permittat adulterinos. Hinc Eliſabetha Regina Angliæ ægre conceſſit Buckhurſto Cancellario, ut pecunia ad tempus mutaretur, poſtea ad ſummum valorem revocanda; addit *Camdenus part. IV. annal. p. 824.* ſubinde dixiſſe Reginam, *grave hoc famæ ſuæ, grave exercitui fore.* Et refert *Joh. de Buſſieres l. 16. Hiſt.*

Franc. c. 25. cum Regii liberi Francisci I. Regis in Hispania captivi soluta ingenti pecuniæ summa permutandi essent, jussisse Pratum Cancellarium Galliæ *cudi nummos ex auro impuro, quos Hispano solveret, fraude indigna Regiâ fide & amplitudine:* nec ideo Hispanis impositum; *quin fraudem magna infamia in apertum productam, singulis nummis ab aurificibus Hispaniæ tentatis, repertumque esse, decessionem quadraginta millium aureorum factam esse, quam supplere novo auro coactus Franciscus.* Illud ante omnia notandum cuivis Reipubl. *ne bona moneta evehatur, & mala invehatur.* Ita hodie cuprum in Poloniam invehitur, & aurum argentumque exportatur, perinde ac *Saavedra* queritur de Hispania *Symb. Pol. 69.* Exteri cuprum elaboratum in Hispaniam invexerunt, portatis inde auro & argento, aliisque mercibus. Plus damni, inquit, attulêre, quàm si serpentes

omnes & animalia venenata Africæ sparsissent per Hispaniam. *Edoardus III.* Rex Angliæ primus prohibuit, *ut nemini, neq; Anglo neque externo liceret aurum, aut argentum cælatum sive signatum ex Anglia exportare in continentem*, ut testatur *Polyd. Virgil. lib. 19. Hist. Angl.* & hactenus idem usus in Anglia obtinet magno incolarum emolumento. Apud *Suecos* Gustavus I. vetuit exportationem monetæ argenteæ, testis est *Joh. Loccenius lib. V. Histor. Svecic.* & hodiè non licet exteris evehere monetam cupream è Regno Sveciæ sub grandi multa. Pro impossibili habuit hanc legem *Bodinus l. 6. de rep. c. 3.* In Polonia tamen hæc lex valere vix possit, si alitèr commercia exerceri debent. Quia enim Polonia nullas merces præter frumentum permutare potest, ut Anglia & Svecia, quæ stannum, plumbum, cuprum & ferrum habent, ideoque cogitur exteris pecuniam probam mit-

rere. Plura de re monetaria collegit *Marqvardus Freherus in Catholico rei nummariæ*, quem vide.

CAPUT XII.

An Rex Poloniæ quicquam alienare, aut sibi acquirere possit?

QUamvis primariò alienationes & acquisitiones jus aliquod, peculiare majestatis non constituant, quia tamen illa potestas planè eximia est, & summæ Potestati competens, atque in Polonia acquisitiones & alienationes Regis alitèr se habeant, ac in aliis Regnis, ideoque necessariò quicquam addendum fuit. Rex itaque Poloniæ nec quidquam alienare de bonis Regni, neque etiam quicquam de bonis Nobilitatis acquirere potest quocunque titulo. Et ita vera est *Fernand. Vasquii l. 1. contr. illustr. IV. n. 4. & Francisci*

cisci Hotomanni quæst. illustr. 1. p. 8. sententia, Regem Poloniæ non posse ditiones Regni alienare irrevocabilitèr, non magis quàm res alienas, nisi ex consensu ipsorum civium. In thesi tamen hæc sententia falsa est, dantur enim quædam Regna, quæ pleno jure proprietatis ex hæreditate quasi possidentur, de quibus videatur *Grotius lib. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. n. 12.* Verum est, Regnis electitiis nullam talem competere potestatem, non enim præsumendum in illis Regnis, quæ populi voluntate delata sunt, eam fuisse populi mentem, ut alienatio imperii Regi permitteretur. Secus se res habet in Regnis hæreditariis & monarchicis. Ita Franciscus I. Rex Galliæ cum in fœdere Madritiensi Carolo V. Ducatum Burgundiæ, Carolesios, Matisconenses promisisset, simulavit quidem consensum Procerum esse necessarium; Regnum esse Francorum, Regis usum fructum, se absque

 illo-

illorum consensu nec oppidum potuisse hosti tradere; at sanè reverà nihil minus credebat, quin si voluisset, utique alienationem illam ratam habere coacti fuissent Proceres, quia tamen pacem frangere studebat; ita quoque sentire cogebatur, ne fractæ paci deesset prætextus aliquis. Vid. *Joh. de Bussier. l. 16. Hist. Franc. c. 20.* & *Grotius l. 2. de jur. bell. & pac. c. 14. n. XI.* Rex Poloniæ nihil alienare potest, inquit *Staravolscius p. 81.* de bonis Regni; ne quidem patrimonium Regiæ mensæ, quod tertium florenorum millionem excedere *Fredro testatur p. 121. Hist.* pro lubitu dispendere potest. Sanè Henrico Valesio vitio vertit Respublica, ut *Fredro narrat. p. 142. Hist.* quod patrimonium Regiæ mensæ plerisque Senatoribus concessisset contra instituta Regni. Accepta hæc prodigalitas ab Equestri ordine in vitium, quia prodigalior, quàm munificior fuisset. Ominabantur ple-

plerique gravem Reipubl. Regem futurum, qui profusè largiendo placere vellet Senatui; compellandos Senatores, ut restituerent Regiæ mensæ patrimonium, neve acceptarent, quæ contra leges irent. Ubi ergo Rex Poloniæ nihil alienare, ita quoque nihil acquirere potest de bonis Nobilitatis. Cautum in Comitiis Varsaviensibus *anno 1631 ne potestatis Regia Domus sit. quærere intra Regnum hæreditarias terras.* Prævidit Respublica, ne honores utriusque status, Ecclesiastici & Politici & beneficia agrorum in Regiam prolem præterquam consensu Reipublicæ distribuantur: ne, si fœcundior Regius thorus, & opimi quique census publici Regum natis asserventur, potentiam intra Rempublicam quærant Reges, aut Regum liberi. Emit quidem Uxor Sigismundi III. Constantia Regina comitatum Zyvicensem pro sexingentis millibus florenorum Pol. ad-

 ver-

versante consvetudine & legibus Regni, *ut Piasecius Chron. p. 438.* scribit: sed in Comitiis dein Varsaviensibus *anno 1631.* lata lex, *ne bona Nobilium terrestria alius, quàm Nobilis (exclusis Regio stemmate oriundis) titulo emtionis aut alio acquirere possit*; & ratione illius Comitatus statutum, ut cuivis Nobili redimere liceret illum Comitatum, interim per Nobilem aliquem administraretur. *Piasecius p. 438. 502. Chron.* Hæc de alienationibus & acquisitionibus Regis Poloniæ. Quia verò non parum ad acquisitiones conferre solent Nuptiæ, quæ inter Reges contrahuntur, hic annectere quicquam placet, *quomodo Regi Poloniæ liceat Nuptias contrahere, aut non.* Elegantèr Meleander apud *Barclajum l. 3. Argenid. c. XV. privatorum est ex amicitiæ affectu vel morum concordia eligere matrimonia. Nobis ea svavitas exuenda est; Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos*

sos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexuum jura omnisque sanguinis charitatem inhumana necessitas negligat. Charissimus esse solet, qui utilitate præcipua potentiam nostram alit, & affinitates pulcerrimæ censentur, quæcunque Regnum stabiliunt. Ita Carolus VIII. Rex Galliæ ob rationem Status repudiata Margaritha Maximiliani Cæsaris filiâ uxorem duxit Annam Francisci Britanniæ Ducis filiam, cum qua amplissimam dotem Britanniam accepit. *Cominæus l. 1. de bell. Neapol.* Ita coactus Franciscus I. Rex Galliæ pacis causa uxorem ducere Eleonoram sororem Caroli V. cum quo tamen capitales inimicitias fovit & bella cruenta gesserat. Nec diu duravit amicitia per nuptias contracta, quin potius fomes fuit sequentium bellorum. *Firmantur enim fœdera nuptiis inter Principes tam diu duratura, quamdiu abstinuerint pravo dominandi extra fines suos*

affectu, cui apud illos ut plurimum tenacius nubitur, ubi eo se Principes spiritu agi patiuntur, non uxorum, non sanguinis habetur ratio, ut Gramondus lib. 2 Histor. Gall. scribit. Duo plerumque nuptias Regum comitari solent, aut majus emolumentum, aut majus damnum. Ita potentia Austriaca aliundè in tantas vires non succrevit, quàm per connubia, ex quo Maximilianus Frider. III. Imperat. filius ductâ Maria Burgundica Caroli Ducis unicâ filia, tot provinciarum hærede, Austriæ Belgium & Burgundiæ Comitatum conjunxit, & fundamentum posuit, quo Austriaca domus in tantum apicem se erexit. Per Philippum I. Maximiliani filium ducta uxore Johanna Regina Castellæ, filia Ferdinandi & Elisabethæ, Castellæ & Arragoniæ Regina in Austriacos transivêrunt. Per Ferdinandum denique, fratrem Caroli V. adjuncta Regna Hungariæ, Bohemiæ & Silesiæ Ducatus

catus, ducta in uxorem Anna Vladislai Bohemiæ & Hungariæ Regis filia, cui tunc erat Ludovicus filius, spes & Regnorum successor. Favit fortuna Austriacis, nam filius mortuus, & nullos reliquit liberos; successit per Annam Ferdinandus. Ita potentia Austriacornm per nuptias crevit. At verò si dicendum, quod res est, potentia Reipubl. Polonicæ per connubia Austriaca majora damna accepit, adeoque magis decrevit, quàm aucta est. Multa Ferdinandi Cæsares promiserunt; sed nunquam promissis steterunt. Quænam damna Polonia illis nuptiis senserit, infra patebit. Et quamvis Respublica Polon. constituerit, ne Rex inconsulto Senatu uxorem duceret, & Vladislaus Jagello primus de amplissimi Senatus sententia ut *Cromerus l. V.* testatur, uxorem sibi adsciverit; restitit tamen huic legi non solum *Sigismundus Augustus*, qui clàm uxorem Barbaram Radzivi-

liam viduam duxit, indignantibus Proceribus, qui consilio & Senatus autoritate, non privata libidine uxores Regibus ducendas esse asserebant, quanquam aliæ adhuc erant causæ. Vid. *St. Orichovius annal. Polon. sub Sigism. Augusto p. 10.* & alii Reges quoque successores parum curarunt legem, quam Proceres mortuo Sigismundo Augusto renovarunt, *ne liceat Regi sponsam capere absque Senatus consilio. Fredro p. 94.* Sigismundus enim III. & Vladislaus IV. matrimonia contraxerunt cum Austriacis necquicquam obnitentibus Regni Ordinibus, & inscio Senatu. *Ita Piaseccius p. 114. Chron.* Proceres obstiterunt conatibus, Regis (Sigism. III.) ne duceret Uxorem Austriacam, neque inconsulto Senatu Nuptias iniret, *sed nihil egerunt.* Observandum quoque circa Nuptias Regum, quia plerumque gradus affinitatis & consanguinitatis tangere solent, opus habere dispen-

spensatione Romani Pontificis. Hinc magna illi in Reges potestas, quam per dispensationē exercet non solùm in rebus fidei, sed ceremonialibus quoque & Politicis. Hinc *omnium Conciliorum licet Oecumenicorum placita à nutu Pontificis Rom. pendere, eaque non solum nullū habere robur sine Pontificis consensu, sed etiam non ulterius valere, quàm illi placeat,* tradit *Mart. Becanus Manual. Theol. controv. l. 1. c. 4. n. 69.* Plerumque tamen dispensationes circa matrimonia & juramenta votaque occupatæ sunt. Ita Celestinus III. Papa mortuo Taneredo, qui Regnum Siciliæ occupaverat, eduxit è cœnobio Monialium Panormitano Constantiam filiam Rogerii Siciliæ Regis, eamque nuptam dedit Henrico VI. Friderici Ænobarbi filio, inque dotem Regnum Siciliæ. de quo *Platina in vita Celestin. III.* Magis frequens jus dispensandi circa gradus prohibitos & connubia Principum.

Est illud arcanum maximè Politicum, quo Reges sibi obligatos reddere possunt; dum connubia aut per divortium dissolvunt, aut per dispensationem licita reddunt. Egregiè de illa dispensatione *Edvvin Santes, Anglus in Scrutinio Religion. c. X.* exempla verò passim in Historia. Ita Ferdinandus Rex Neapolitanus uxorem suam amitam duxit, de quo *Cominæus l. 5. de Bell. Neapol.* de Henrico VIII. Angliæ Rege *Polydor. Virgil 27. Hist. Angl. Princ.* Henricus Walliæ Princeps in matrimonium duxit *Catharinam, quæ Arturi mortui fratris uxor fuerat, idque* " *Romani Pontificis autoritate lege solutus, omnis scrupuli evellendi* " *gratia efficiendum curavit, quod* " *fas & jura sinebant, cum Arturus* " *nullos ex ea puella suscepisset liberos. Namque legem à Mose datam, de qua fit mentio Deuteron. c. 25. Christiana Ecclesia postea receperat, pacis confirmandæ causa.*

Quam nam ille Ecclesiam Christianam intelligat, ego hariolari nequeo. Potius prohibuit Christus s. Christi Ecclesia, quàm recepit illa matrimonia, quæ Judæis peculiari Dei placito permissa erant. Ita alii Reges Carolus IX. Franciscus I. Ludovicus XIV. Reges Galliæ dispensatas iniverunt nuptias. Et Polonia quoque opus habuit illa potestate. Ita *Clemens VIII.* Pontifex nuptias Sigism. III. Regis cum Austriaca Constantia legitimas reddidit, frustra obnitente Samoiscio Cancellario, qui Pontificem rogaverat, ne in dispensando matrimonio esset tam facilis & promtus, sed parceret honestati Poloniæ, ut *testatur Piasecius Chron. p. 263.* Idem *p. 588.* narrat, Poloniæ Proceres Rokos celebrasse propter nuptias Vladislai, non tantum, quod gens Polona aversaretur arctam amicitiam & consanguinitatem Austriacorum, sed quoque nuptias illegitimas: nec dubitat apertè pro-

profiteri, ac postmodum intra paucos annos *invaserunt hoc Regnum* (Poloniæ) *calamitates plures, quàm in mille annis possint numerari: ut secessio militaris à bello Muscovitico, clades Stephani Potocki in Moldavia cum jactura Moldaviæ, damna Livoniæ, Prussiæ, fames, pestes crudeliores, ut non vanè populi voces in primo adventu ejusdem Constantiæ Reginæ Cracoviam, infaustas hujusmodi nuptias fore præsagiverint.* Et ita quoque factum est. Huc pertinent verba *Petri Gregorii Tholosani, quando lib. VII. de Republ. c. 20. n. 6.* ait, *Potest* „ *Pontifex summus in his quæ extra* „ *fidem sunt. statuere contra Apostolorum & Conciliorum decreta;* „ *verum quàm piè hoc dictum sit,* „ *ipse viderit, & impetrantes dispensationem, num justa causa &* „ *Deo probata sit. Alioquin enim,* „ *quamvis dispensati tuti sint, quod* „ *pertinet ad controversiam hominum propter dispensationis legitimæ*

timæ præsumtionem, tamen quod „ *pertinet ad Deum, qui veritatem judicat, tuti non sunt.* Rectè „ quidem Tholosanus, sed ingrata auribus Pontificis & magnorum Principum, quibus Ratio Status interdum magis attenditur, quàm honestas Legum. Narrat *Buchananus lib. 18. Histor. Scotic.* in conventu civium publicè nuptias Regum Scotiæ tribus Dominicis denunciatas esse, ut, si quis quid vitii aut impedimenti sciret, quo minus legitimè coirent, rem ad Ecclesiam deferret. Rident hodiè illam consvetudinem aulæ, quia servilem nimis sapit conditionem, Regibus indignam; ideoque magis apta Reipubl. quam Plato descripsit, quam Thomas Morus, Campanella, Verulamius & alii ediderunt.

CA-

CAPUT XIII.

De Religione in Polonia.

RELigionem esse fundamentum Reipubl. non Christiani saltem credimus: idem olim Ethnici docuerunt. Hinc Legumlatores apud Græcos, & quos injustè appellabant barbaros pro fundamento legum suarum religionem habuerunt, & cultum divinum. Testatur *Plutarchus in Theseo*. Reipubl. Atheniensium constituendæ Theseum religionem pro basi collocasse. De Numa *Tacit. l. 3. annal. eum Religionibus & jure divino populum devinxisse, atque effecisse, ut fides & jusjurandum civitatem melius, quàm legum pœnarumque metus regeret. Cicero l. 2. de Nat. Deor* Romulus auspiciis, Numa constitutis sacris fundamenta jecerunt Rom. civitatis. Ipse *Polybius* atheus *l. 6. de mil. ac domest. Rom. discipl.* Religionem Rerum omniũ Publicarum firmissimum esse fundamentum, ab eâq; subditorum fidem in Principes, obedientiam erga magistratus, justitiam in omnes pendere scripsit. Quod Poloniam attinet, ex quo religio Christiana suscepta est, major quoque sacrorum cura orta est apud Reges. Quandò verò religio Christiana cœperit florere *c. 3.* diximus. Mansit unitas Religionis Latinæ Romanæ, donec tempore Vladislai Jagellonis nova per Hussum & Hieronymum Bragensem atque Coiclefum Anglum in Religione illa opinio excitata est, non respondens in plerisque placitis Romanæ religionis. Multos nacta illa sectatores cum in Polonia quoque esset, Vladislaus recens Christianus factus, ut fervorem in Religione & zelum ostenderet suum, severum planè edidit mandatum *anno Domini 1424. Præcipimus, ut quicunque in Regno Poloniæ, (sunt hæc verba edicti) & terris nobis subjectis hæreticus aut hæ-*

hæresi infectus aut suspectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules civitatum & alios Officiales, ac quoslibet subditos nostros, sive in officiis, sive extra viventes, velut Regiæ Majestatis offensor capiatur, & juxta exigentiam excessus sui puniatur. Omnia bona ipsorum mobilia, in quibuscunque rebus consistentia, publicentur, thesauro nostro confiscanda; prolesque eorum tàm masculina quam fœminina omni careat successione perpetuò & honore nec unquam ad aliquas assumatur dignitates vel honores, sed cum patribus & progenitoribus suis semper maneant infames, nec de cætero gaudeant aliquo privilegio Nobilitatis aut decore. Decreta hæc lex in Comitiis Corcinensibus severa admodum. Cum verò parum hæc lex efficeret, quin potius magis ac magis cultus illius religionis

nis in animos hominum clàm per totum Reipubl. corpus serperet; & legum severitate tolli non posset, *Sigismundus I. Rex anno 1543.* prohibuit, ut Studiosi extra Regnum operam dantes literis doctrinas novas aut libros de iis adveherent in Poloniam, quemadmodum testatur *Theodor. Scuminovius Episc. Gratianopol. de jur. Person. titul. 3. n. 16. & Autor Pol. defens. p. 113. 114.* Crescebat enim tum temporis religio in Germania & alibi, quam Lutherus magno felici tamen ausu excitaverat. Observabantur antea passim Latini ritus, & Romani Pontifices divina sui juris facere, nova edere decreta, vetera interpretari, sacros libros vulgi manibus excutere cœperant, perniciosum dictitantes, si rei maximæ judicium indocta curiositas acciperet. Ita promtum cuncta ad honores suos & quæstum componere, sacerdotumque licentia eò vitiorum devenerat, ut remediis opus & ipsi fa-

faterentur. Sed ſubita literarum luce, quæ caliginem ſeculorum diſpulerat antecedentium, extiterunt, qui cæteris cum artibus Religionem pugnare aggreſſi ſunt, & res cunctas ad ſacrarum literarum teſtimonia revocare. Gratum id populis, qui ſumtuum, quos pro indulgentiis ſolvere cogebantur, pertæſi, ſimul gaviſi ſunt, quod non anxia formidine & obſequio, ſed fiducia majore ac paucioribus præceptis ſperare cœlum jubebantur. Conatus id Lutherus, præſtitit quoque Dei auxilio, conſcripta è ſacris literis Religionis formula, quæ dein ab Auguſtano conventu & Luthero Doctore nomen accepit. Artibus verò Carolſtadii, *Zvinglii* & Calvini ingenio orta alia religio, quæ à Calvino nomen ſortita eſt jam dudum coalitura cum Auguſtana, niſi in religionibus compertum foret, eſſe omnia pertinaciæ, quàm concordiæ proniora. Movit controverſiàm & diſſen-

ſenſum infauſta illa de ſenſu verborum Sacræ Cœnæ Inſtitutionis diſputatio, ut improprio ſenſu acciperentur verba: quam ſententiam deinde Zvinglius & Calvinus defenderunt Tertia valdè pernicioſa & impia enata eſt autore Thoma Münzero, Anabaptiſtarum Secta, de qua *Sleidan. l. V. comment. & X. Thuanus Hiſt. l. 50. annum* 1570. Eodem tempore Michaelis Serveti doctrinam protraxerunt Lœlius & Fauſtus Socini, hinc ſectatores Sociniani dicti, diſſeminarunt venena ſua maximè in Transſylvaniâ & Polonia. Itaque in Polonia, ut alibi, quævis opinio ſuos invenerat amatores & amicos. Maximus tamen eorum numerus erat qui Calvini ſententiam ſequebantur; haud minor illorum, qui Socini aut Arii & Photini blaſphemias fovebant. Ne itaque numerus illorum creſceret, invenit hoc remedium Sigiſmundus I. Rex, ut lectionem talium librorum, qui ſen-

ſententiam à Religione Romana diverſam docebant, prohiberet. Eadem ratione Carolus V. in Belgio extirpare conabatnr peregrinas in Religione opiniones. Juſſerat enim inter alia, ne qui libri, niſi Lovanienſibus magiſtris laudati, in vulgus exirent, eorundem ad præſcriptionem vulgus inſtitueretur. Qui de literis divinis diſſertaſſent, privatis cœtibus interfuiſſent ſacrorum cauſa in viros gladiꝰ, in fœminas ſub terrâ defoſſio ſtatuta eſt, publicatis bonis, ut *Grotius refert lib. 1. annal. bell. Belg.* Sed ut plerumq; vana in membranas ſuppliccia & publicè caſtigati libri, privatim acrius legi amant, quia vetiti; ita in Polonia & Belgio accidit, tantũ enim abeſt, ut Carolus & ejus filius Philippus tantis & tam ſeveris pœnis religionem quæ Romani Pontificis imperium abnuebat, ejecerint è Belgio, ut potius magis ſtabiliverint, quia in vetitum magis nititur religio, & inter ſup-

ſupplicia magis creſcit. *Ea, quæ corpore exercemus, vi atque imperio mortis & cruciatuum metu obnoxia ſunt; verùm animus ut eſt liber & immortalis, ſi quid per ſe arripuit, non ferro non igne eviceris, quin ipſa invitant pericula, & glorioſum habetur extra ſceleris conſcientiam crudelia pati*, ut elegantèr loquitur *Grotius lib. 2. annal. Belg.* Res eò tandem venit, ut moto à Belgis ob negatam conſcientiæ libertatem bello Hiſpani coacti fuerint, anxiè quæſitâ pace, illos publico diplomate pro populis liberis, in quos amplius nullum jus haberent, agnoſcere. Vidit illos motus Reſpublica noſtra, & alios, qui in Galliâ & Germania fervebant, itaque Proceres unanimi conſenſu poſt mortem Sigiſmundi Augusti, ſtirpis Jagellonicæ ultimi, *anno 1570. 28. Januar.* publico Ordinum fœdere omnibus, qui Hæretici dicti ſunt, *Diſſidentium* nomine ſine ullo diſcrimine & invidioſo dele-

 ctu-

ctu, libertatem religionis verbis conceptis jurarunt & caverunt. Verba notatu digna sunt. *Cum autem in Republica nostra non exiguum in causa Religionis dissidium, occurrendo huic rei, ne ex ista causa inter homines oriatur aliqua noxia seditio, quam in aliis Regnis clarè videmus: spondemus hoc nobis invicem pro nobis & successoribus nostris in perpetuum, sub vinculo juramenti, fide, honore, & conscientiis nostris, quod nos, qui sumus dissidentes in religione Christiana, pacem inter nos servabimus, & propter diversam fidem & differentiam in Ecclesia sangvinem non profundemus, neque pœnis afficiemus, veluti confiscatione bonorum, infamia, carceribus & exilio, neque magistratum ullum ad tale facinus ullo modo juvabimus, imo verò si quis sangvinem ex hac causa effundere velit, huic nos omnes vires nostras*

opponere tenebimur, etiamsi prætextu decreti vel processus alicujus juridici id facere velit. Rectè quidem *Georgius Dux Ossolinsky Orat. 1.* si quis legem Vladislao Jagellone latam & totius Nobilitatis patrio more, consensu firmatam legerit, fatebitur, nullius Concilii anathema acrius hæresin perstrinxisse: quod verò pergit, nunquam abrogatam illam legem, neque abrogari unquam passuros Polonos, verbis antè citati decreti contradicit. Fuit sanè abrogatum tum temporis Vladislai decretum severum, & *Demetr. Sulicovius comment. rer. Pol. p. 24* ipse fatetur, auctos numero & potentia dissidentes, & usos dissolutæ sub interregno domesticæ disciplinæ occasione leges Vladislai antiquari, & impunitam hæresin in Regno profitentibus libertatem concedi ursisse, eandemque obtinuisse. Hinc *Staravolscius p. 87.* potissimum Interregnorum tempo-

re invaluisse libertatem religionis Dissidentium tradit. In Comitiis deinde, quæ ante Electionem Henrici Valesii celebrata sunt ab Ordinibus Regni, cum multæ lites de libertate religionis Dissidentibus dandâ, agitarentur, & Clerus maximè illam negaret, tandem Proceres Catholici plures adductis in medium rationibus & exemplis, persvaserunt Clero, ut acquiesceret, *Confœderatio* inita est inter Regni Ordines, quibus seculares subscripserunt & Franciscus *Krassinius* Episcopus Cracoviensis, addit *Sulicovius comm. p. 10.* reclamantibus & cōtra protestantibus tum spiritualibus & secularibus omnibus *parum prudenti concordiæ studio.* At sanè consilium illud prudentissimum fuit, & , quod magis, Reipubl. salutare maximè, quia concordiam conservavit, qua res crescere parvas, discordiâ verò maximas dilabi vulgò dicitur. Sinceriùs & prudentius *Fredro p. 115. Hist.* de illa con-

confœderatione scribit, *pacem Dissidentibus datam esse*; nec enim semper præstare antiquas leges mordicus defendere, si salus Reipubl. meliorari possit, quâ sola omnis legum sanctimonia consistit: at vero leges Vladislai non poterant non salutem Reipubl. pessundare, quia libertatem negabant, quæ negari non potest. Omnem moverunt lapidem Episcopi quidem, ut turbas cierent, ut vetera Vladislai edicta manerent, ut pacem & concordiam tollerent; sed prudenti Catholicorum Procerum quoque consilio illorum machinæ omnes elisæ sunt; & coacti sunt aut consensum præbere, aut tacere & acquiescere. Addit *Fredro*, *non nunquam prudenti conniventia, ubi scelus prohiberi non possit, citiꝫ voluntatem peccandi hebescere, aut dum satietas vitiosæ licentiæ peccantes caperet, aut tandem placeret virtus. In rem ac rationem esse Belgarum tumultus, quos aut importunus, aut sal-*

 tem

tem ex eo, quia ſervus, inquirentium excivit vigor, cum prævalidæ hæreticorum numerarentur manus; quos ſatius foret per legum conniventiam ſubditos habere, quam prohibitis petendo, quæ ſervari non poterant, contumax inſinuare non obſequium. Motum his rationibus Clerum conticuiſſe, tamen ut non probare, ſed diſſimulare videretur, addit deindè prudenter, neque *parvos modeſti conſilii fructus carpimus*, & ita omnes quoque, qui non cœcos ſequuntur affectus, ſed veritatem & ſalutem Reipubl. amant, loqui coguntur. Edidit tum temporis librum ſeditioſum *Sulicovius*, cujus contenta recitat ipſe *p. 25. Hiſtor.* & voluit ultimo articulo temerè oſtendere iniquam eſſe & irritam *Confœderationem*, in quam Proceres & Regni Ordines conſenſerant. Magna ſanè audacia & inconſulta, improbare legem illam, quam publicam volebant plerique Regni Nobiles: impu-

pugnare concordiam, quam omnes inter omnes alere ſtudebant; violare pacem publicam, qua ſalus Reipubl. conſiſtit. Sed impunè fecit, quia homo ſacer, typographum verò Regni *Marcſchalcus Johann. Firleus* in carcerem conjecit. Illud addendum, quando *Sulicovius* ſcribit, *Kraſinium* Epiſcopum reclamantibus omnibus ſecularibus ſubſcripſiſſe, apertè ſibi dein contradicere, dum inductum precibus & perſvaſionibus ipſorum Catholicorum ſecularium ſubſcripſiſſe refert. Inſerta poſtea juramento Regio Henrici Valeſii *Confœderatio*, fruſtra reclamantibus Epiſcopis, & juravit Rex in talem formulam, *Pacem inter diſſidentes de Religione tuebor, nec quempiam ullo modo vel juriſdictione noſtra vel officiorum noſtrorum & Statuum quorumvis autoritate injuria affici opprimique cauſa religionis permittam, nec ipſe afficiam vel permittam.* Ita Stephanus Rex in

in pacem religionis non solùm juravit, sed illam quoque, quoad vixit, inter cives aluit, non habita religionis ratione. Credebat enim tria Deum sibi reservasse, quæ homines facere non possunt, *ex nihilo aliquid facere, conscientiis imperare, & futura præscire.* Sub Inter Regno dein post Stephanum Batorium, quamvis Catholici numero & potentia prævalerent, tamen quia Catholici seculares oscitantius rem agerent, & omnem religionis curam in Ecclesiasticos conjicerent, (plerique optabant, ut Ecclesiastici tali via in ordinem redigerentur) Dissitentes rebus suis intenti majori fervore pro libertate Religionis stabiliendâ certarunt. Obtinuerunt tandem post longas altercationes, *ut in edicto pacis Inter-Regni publico securitatis Religionis Dissidentium inserta fuerit cautio,* frustra repugnantibus Ecclesiasticis, contra quos tali edicto sub scribere nolentes *equestres omnes*

Catholici æquè & hæretici Dissidentes pacem publicam per ipsos turbatum iri querebantur, ni edicto fœderique subscriberent, ut narrat *Piasecius. Chron. p. 80.* Ac cum tandem culpa omnis disturbati conventus non nisi in Ecclesiasticos redundatura videretur, si ob secessionem pertinacem & denegatam subscriptionem rebus infectis solveretur, vel si seculares soli sancirent leges pacis exclusis Clericis, res in eo stetit, ut *Laurentius Goslickus* Episcopus Camenecensis actis illius conventus subscripserit adjecta cautione, *pro bono pacis*, nempe quod alitèr pax communis eo tempore constare non posset. Non defuerunt tamen inquit *Piasecius l. cit. qui prudens illud consilium* in necessitate carpere, & ipsum Goslicium virum in Religione Catholica propugnanda probatissimum, etiam apud sedem Apostolicam traducere non dubitarunt. Juravit deinde electus Sigismundus

Rex in formulam illam, *pacem Dissidentium in Religione tuebor.* Post *mortem Sigismundi III.* lis iterum mota dissidentibus circa pacem Religionis, quam violare Clerus intendebat, edicto tamen pacis Inter-Regni Confoederatio inscripta est. Non contenti tamen veteri verborum formula sub interregno post Augustum Regem, Henricum Valesium & Stephanum usitata, *pacem inter dissidentes de Religione tuebimur*: insuper rogarunt *ut in omnibus civitatibus Regni aequè Nobilibus quàm plebeiis usus Religionis publicus concederetur, Principum mandata & judicum decreta actaque publica tali exercitio contraria rescinderentur, ad magistratus in urbibus Regiis aequè dissidentes ac Catholici assumerentur, in aula Regia certa officia, quae non nisi unus è dissidentibus obiret, instituerentur*, & hujusmodi alia, quae in libello viginti articulorum comprehenderant, & circa novi Regis inaugura-

gurationem lege publica stabiliri volebant. Catholici verò omnes, ut scribit *Piasecius Chron. p.* 528. uno ore clamarunt, *se nulla ratione permissuros, licentiam haereseos dilatari in praejudicium avitae Religionis.* Dux tamen Radzivil in illo conventu, cum aliquis dixisset, *Haereticis ea, quae legantur*, (legebantur autem verba edicti pacis Interregni à Mareschalco Nunciorum) *non tam concedi, quam dissimulari*, vehementi oratione arguit, tali ratione Dissidentibus nihil certi sincerique, sed omnia suspecta & personata relinqui, cum tamen ejusdem Reipubl. cives aequali cum Catholicis jure in omnibus libertatum Nobiliũ titulis censeri deberent. *Piasecius Chr. p.* 531. Deleta dein exceptio illa praejudiciosa, quae paci Religionis adversabatur, & qua subscribere solebant solicitè edicto pacis Ecclesiastici tempore Interregni, *excepta confoederatione.* Jussi itaque omissa illa

veteri & invidiosâ subscriptione, scribere, *salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.* Ita verba in speciem mutata, manente re eâdem. Ante electionem Vladislai IV. Regis, cum Dissidentes iterum rogassent, ut pax religionis certa esset, parum abfuit, quin bellum civile moveretur. Contradictionem enim interposuerat contra transacta in convocatione præterita circa pacem religionis Episcopus Luceoriensis, eamque actis publicis inseri fecerat. Verebantur meritò Dissidentes, ne pax hujusmodi machinis elideretur, ideoque certiores & meliores conditiones pacis securitati præstari requirebant. Catholici tamen & Ecclesiastici inprimis acerbè responderunt, *Hæresin advenam esse, precario degentem in Regno Poloniæ, à legitimis rerum Dominis antiquisque possessoribus extorquere nil posse, sed quicquid vel minimum concederetur à sponte offerentibus, grato animo accipere*

pere debere Dissidentes, quod si vim præferrent, scirent, Reipubl. ad vindicandas patrias leges & avitam religionem conservandam nec animos nec vires deesse & viros. Nec deerant, qui oleum igni affundere, subtrahenda svadebant, quæ eo usque concessa erant Dissidentibus, nihil ipsis penitus concedendum, sed armis ad officium redigendos, quidam jam consilia de conjungendis contra hæreticos viribus iniverant, ut *Piasecius narrat pag. 534.* Prudentiores tamen, ne sumtis armis conventus electionis Regiæ distraheretur, veriti, illas lites humanioribus mediis sopiverunt. Perfecit tandem ipse Vladislaus Princeps autoritate sua, ut post longas rixas *formulam securitatis Religionum in convocatione antecedenti conscriptam omnes approbarint eo solùm adjuncto, quod formulæ & paci nulla oppositiones cujuspiam præjudicare unquam deberent.* Ita tunc pax Religionis Dissidentium

servata, quam tamen, cum Vladislaus Rex Poloniæ electus juraret, in dubium vocare voluit Archiepiscopus Gnesnensis, monens Regem, quod juribus Religionis Catholicæ nulla ratione jurejurando tali derogaretur, præsertim articulo, pacem inter dissidentes de Religione servabo. Quænam jura ille intellexerit, ego nescio. Opposuit autem rectè Raphael Lessynsky Palatinus Belzensis nomine dissidentium, ne jura ipsorum in dubium vocarentur; respondisse verò Archiepiscopum *Piasecius p. 544. Chron. refert*, se scire quod pax Hæreticis indulgeretur, sed de jure & publicâ lege, quâ confirmaretur, nescire. Rectius dixisset, se de lege publica nescire velle, quam optimè fortassis scivit. Et verò quare toties jurarunt pacem religionis Reges, si lex non est? Nec Reges solùm, sed Ordines quoque anno 1570 jurarunt inter se invicem, *quod pacem publicam Religionis sub fide, bono-*

nore & conscientiis, sub vinculo juramenti pro se & successoribus suis servare, & si quis contravenire & pacem turbare ausus fuerit, contra talem omnes insurgere vellent. An itaque hæc conventio non obligat Successores? an non lex publica? Sanè si illud juramentum se rectè habere debet, necesse est, ne à successoribus disrumpatur. Apparet itaque ex illis omnibus, quamvis singulis Interregnis omnem lapidem atque ipsa Acharonta moverint Ecclesiastici, ut pacem Religionis Dissidentibus datam infringerent, salvam tamen huc usque per Dei gratiam stetisse, & ab omnibus Regibus post Sigismundum I. cautum esse, *quod pacem inter Dissidentes tueri vellent.* Notandum verò est, olim sub vocabulo Dissidentium omnes religiones, quæ vel Calvini, aut Lutheri, aut Socini placita sequuntur, comprehensas esse; nuper tamen & proximis Comitiis per publicam Constitutio-

tutionem ab illa pace exclusi, atque è Polonia exire jussi sunt Ariani, tristi in reliquos præsagio, atque evulgato arcano illo, posse aliquam „ Dissidentium partem à pace pu- „ blica excludi non solum, sed pe- „ nes Ecclesiasticos, qui in judiciis „ maximè prævalent, quoque si- „ tum esse, interpretari partem & „ excludere quam velint. Quare „ Ariani ejecti fuerint è Polonia, in ambiguo est, & si paterent maximè causæ, reticere præstat. *Anxium quippe & periculosum in Reipubl. Secreta inquirere, quæ, licet enixius quæsieris, rarò assequare; assecuta, probè silueris.* Addemus hic, quatenus summa Potestas Religionem tolerare in Republica, aut cogere possit: & num dissensio religionis Reipublicæ noxia sit? Est itaque primò notandum, religionem Christianam, quia simpliciter non facit ad salutem Reipublicæ, ut absque illa Respublica non possit esse salva, mandari

dari non posse. Lex enim fidei Christianæ ad felicitatem hujus vitæ civilem obtinendam non pertinet, quia tale aliquod bonum ejus cultoribus non est promissum. Quin Christus potius discipulis suis non felicitatem mundanam, sed potius ærumnas promisit: mundus gaudebit, & vos plorabitis. Itaq; in quantum ad felicitatem æternam impetrandam fides Christiana necessaria; ad Reipubl. salutem simpliciter necessaria non est, & cogi potest. Deinde, quia Religio est ex parte *opus intellectus*, qui leges humanas non audit, illa multò minus cogi potest. Hinc egregiè *Lactantius lib. V. Div. instit. c. 200. non est opus vi & injuria, quia Religio cogi non potest, verbis potius, quàm verberibus res agenda est.* Et *Barclajus in Argenide l. 3. c. 5. liberæ sunt hominum mentes, nec ullis legibus cogi possunt, velle, quod nolint.* Hac ratione ipse *Saavedra*, quamvis diversitatem religionum in Republ. non

non tolerat, *Symb. 27. p. 213.* affirmat, *intelligendi vim in eo genere liberam esse & salvam sua libertate, ad credendum cogi non posse.* Et *Georgius Ossolinsky* Oratorum Princeps *Orat. 6.* illam, quam optimus „ quisque se Creatori debere pro- „ fitetur, gratitudinem non pati „ alios cancellos aut ligamenta, „ præter intentam in id, quod ei „ credit, placere voluntatem, „ quæ ut recto tramite processe- „ rit, aut ab eo deviaverit, morta- „ lium mentes opinionis suæ te- „ naces vel in se ipsas armat & „ acuit. Non negamus tamen omnem in religione voluntatem: potest enim ex voluntate errare quis circa cultum divinum ex non adhibito rectè studio perveniendi ad veritatem; ideoque Religio, in quantum Opus voluntatis, legibus vinciri potest. Licet tamen summæ potestati svadendo propagare fidem Christianam, & operam dare, ut fides sincerè

rè & fideliter, perspicuè tradatur. Id negabit nemo, nisi qui omnem sacrorum curam ad Clerum delatum esse à Christo contendunt. Quia tamen lex nulla in Sacra Scriptura, quæ clarè & perspicuis verbis (ut omnis lex debet clara esse) commiserit illam sacrorum curam saltem sedi Apostolicæ & Episcopis, ideoque salva persistit potestas summis Potestatibus & cura sacrorum ἀρχιτεκτονικὴ, ministerialis Clero competit. Ostendunt exempla Cæsarum Christianorum, Constantini M. Caroli M. & aliorum, qui Concilia non solum celebrarunt; sed lites in religione deciderunt. Testantur Historiæ Ecclesiasticæ scriptores de Imperatoribus Imperii Orientalis, Socrates, Eusebius, Theodoretus, Ruffinus, Nicephorus, Sozomenus, quod concilia Episcoporũ ipsi convocaverint, & probat latè *David. Blondellus in dissert. de jure pleb. in reg. Ecclesiast. p. 56. 57.* seqq. vir in Historiâ Ecclesiasti-

siastica peritissimus. *Sibrandus Lubbertus de Conciliis. Marius de schismate & Conciliis c. 1. p. 2. Peucer. l. 4. Chron.* & alii. Coëgit Carolus M. non solum Synodum Francofurtensem, sed illi quoque tanquam Præses interfuit ut testantur *Eginhardus in vita Carol. M.* & *Bocclerus* in ejus vita. *p. 36. 37.* ut ergò ineptè planè scribat, *Ludovicus Aurelius in epitom. annal. Baron. ad ann. cit.* rogatu Caroli M. Synodum illam à Pontifice congregatam esse. Certum itaque civili potestati quoque competere jus constituendi sacra. Verbis verò illis sacræ Scripturæ, *supra petram ædificabo Ecclesiam meam, pasce oves meas, Tibi dabo claves Regni cœlorum quæ tria propugnacula Pontificatus Romani vocat Henelius in otio Vratislav. c. 54. de primatu Petri. p. 462.* perspicuè non adimitur jus sacrorum Regibus, neque etiam soli Pontifici tribuitur, ut rectè *Isaac. Casaubonus exerc. 16. ad annal. Baron. n. 132.* di-

dicta illa esse figurata de Petro, & silentium de Pontifice Romano. Nec ullâ prærogativa Petrus usus est præ reliquis Apostolis; quia omnes æquè eodem modo Spiritu Sancto instructi, & omnibus potestas clavium data. *Matth. 18. v. 18. Joh. 20. 23.* quanquam hanc consequentiam negat *Becanus l. 1. manual. Controv. c. 4. n. 48.* quam tamen acritèr defendunt *Marsilius Patavinus defens. Pac. part. 2. c. 27. 28. & M. Anton. de Dominis part. 1. de Republ. Ecclesiast. c. 3. 4. 6. per tot.* Hæc tamen ego non examino, an rectè se habeant; illud modo, quod propriè huc pertinet, defendo, sacrorum curam Majestati civili competentem esse. Potest verò summa potestas naturalem Religionem mandare, quia alitèr justitia inter homines vigere nequit, adeoque nulla societas consistere, ni persvasum sit hominibus esse aliquod Numen, gaudens bonis hominum actionibus, & odio habens malas, quod

quod bonas actiones præmiis, malas verò pœnis in hac vita & post mortem gravius persequatur. Esse Deum unum, qui providentia sua omnia gubernet. Competit deinde Principi, ut omnem impietatem & atheismnm è Republ. tollat; quia summè noxia sunt mala. At verò religionem illam, quæ superaddidit quædam naturali, cogere non potest Potestas civilis, neque Ecclesiastica. Negavit Christus Apostolis omnem vim; *Reges gentium dominantur iis, & qui autoritatem habent in eos, benefici vocantur, vos autem non sic. Luc. XXII. v. 25.* si Apostolis nulla potestas civilis data, ergo nec Episcopis & Presbyteris. Optimè *Paulus* Timotheo scripsit *ep. 2. ad Tim. 2. v. 24. 25. Servum Domini non oportet pugnare, sed mansvetum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo sunt affecti, experturum, num aliquando daturus sit*

sit eis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis ejus. Hoc sensu dixit Didac. *Saavedra Symb. Pol. XCIV. Officium Pontificis pastorale est, non belli, sed pacis, pedum obtusum, supernè incurvatum, ut conducat, non acutum, ut sauciet.* Ita primi Imperatores Christiani in Paganos & Judæos ob non susceptam fidem vel exilio & simili gravi pœna nunquam animadverterunt. Samaritanos Justinianus quidem adigere voluit, sed & hoc ejus consilium improbatum esse notat *Grotius l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. n. 48.* ex arcanâ Procopii Historia. De *Judæis can. 5. Concil. Tolet. quem recitat. cap. de Judæis Gratianus distinct. 45. præcipit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre, cui enim vult Deus miseretur, & quem vult, indurat.* Quanquam simplicitèr ita fides *opus Dei* non est, sed hominis quoque, quia illam Hominibus Deus præcepit, & pœnas addidit, *Joh. 3.* si non cre-

crederent. Nihil autem mandari aut vetari potest, quod non est in arbitrio hominum, s. quod facere aut omittere possunt. In quantum verò fides sit in hominum potestate, Theologi docent. Quia itaque quilibet homo dejure illo divino obligatur, quantum possit, saluti suæ prospicere, ni velit aliquando pœnas dare malitiæ, & naufragium facere æternæ vitæ, quia non credidit, majestati non competit media ad salutem præscribere; quæ è sacris literis eruenda sunt. Alia autem quæstio est, quænam Ecclesia illa media, & viam ad salutem æternam monstret? nec ideo obsequium debemus Catholicæ, ut dicitur, Ecclesiæ, quia majores nostri ita crediderunt: neque etiam quia vulgus novitatis amans, ideo Lutheri nova, aut Calvini in Religione Christianâ reformata via necessariò terenda est. Sunt illa argumenta, ut avitam Religionem retineas, ad vulgus in officio

officio & fide antiqua retinendum, commoda; cujus aures magis ad exempla & Rhetoricam, quàm rationes & Logicam directæ sunt. Jussit Christus, *ut scrutemur Scripturam*, illam esse, quæ salutis viam monstret Hominibus. Videndum itaque, quæ proximè accedat mentem sacræ Scripturæ & doctrinam à Christo datam, à Discipulis disseminatam. *Hæc est lucerna Ps. 119. v. 105: quæ intelligere facit simplices v. 129. in illa ad doctrinam nostram omnia scripta sunt, quæ scripta sunt, ad Rom. 15. v. 4.* At verò ut hominem cogere velis, ut credat, tuam Ecclesiam esse, quæ viam & media ad salutem ritè & rectè tradat, audacia esset. Est enim *Religio opus intellectus*, quem nullas leges audire supra diximus. Malè itaque Hispani Reges inprimis *Ferdinandus & Isabella* immaturo Religionis zelo, omnes Judæos, nolentes Baptismum recipere, ex Hispania ejecerunt an-

no 1482. Rem narrat *Hier. Conestagius lib. 1. de Portugall. & Castell. conjunct. p. 23.* circitèr vinginti familiarum Judaicarum millia, quarum singulæ decem amplius capitibus constabant, in Lusitaniam migrasse ex Hispania, hac lege, ut in singula capita octo ducati solverentur Regi, qui tum erat Johannes II. ut ad certum tempus manerent, quod præscriptum erat à Rege. Finito tempore, multi in servitutem redacti, quod Christianam Religionem suscipere nollent; multi ne bonis exuerentur, Christianos ritus subibant, ad ejuratos errores furtim relapsuri. Exemplum Ferdinandi secutus Emanuel Rex Lusitaniæ, ut refert *Hieron. Osorius lib. 1. de reb. gest. Emanuel. fol. 7. 13. cum enim ille*, inquit, *indignissimè ferret, tot hominum* (Judæorum) *millia in sempiternum „ exitium detrudi, ut saltem filio- „ rum saluti prospiceret, rem exco- „ gitat facto quidem iniquam & in- „ justam,*

justam, animo tamen & proposito „ fine laudabilem: jussit enim, ut „ Judæorum filii, qui nondum deci- „ mum quartum ætatis annum ex- „ cedebant, à parentibus abstra- „ cti, & ab illorum conspectu re- „ moti, in religionis Christianæ „ disciplinam traderentur. Pergit *fol. 14.* & factum hoc iniquum fuisse apertè fatetur; voluntarium enim sacrificium, non vi mala coactum, ab hominibus expetere Christum, neque vim mentibus inferri velle, sed voluntates ad studium veræ religionis allici & invitari. Ita *Joh. Mariana l. 26. Hist. Hispan. c. 14. l. 27. c. 5. & alibi decretum illud insolens vocat, & à legibus & institutis Christianis abhorrens. Malè cogas*, inquit, *homines Christiana sacra suscipere, libertate cœli data in re omnium gravissima spolies, quos Deus sui arbitrii esse voluit, quare id piaculum sit, ac ne filios quidem eo studio à parentibus abstrahere liceat.* Ita *Ferdin. Vas-*

quius l. 1. contr. illustr. c. 8. n. 12. fas esse Principi, Judæorum infantes à parentibus abducere, negavit, & multos ibi Doctores citavit, qui omnes hanc sententiam defendunt, quod nemo ad fidem cogendus. Occurrit in historia quoque nostra exemplum illustre. Narrat enim *Cromerus lib. 6. Hist.* Boleslaum edixisse Prussis, ut quicunque ad certum tempus Christianos ritus non suscepissent, abducerentur, & sub hastâ venderentur. Addit *certatim quidem omnes dedisse nomina Christo, sed magis devitandi periculi metu, quàm ex animo, linguam jurasse, mentem injuratam mansisse. Neque enim firmam & stabilem sedem habere posse religionem vi & metu expressam, illam foris necessitati servire, intus quidem in animo liberrimam esse.* Rectè ergo concludit *Hugo Grotius lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. n. 48.* quod veritas religionis Christianæ, quatenus superaddit religioni naturali, ar-

gumentis merè naturalibus persvaderi non possit, sed nitatur historia Resurrectionis & miraculis à Christo editis & Apostolis, quæ verò populi Pagani haud facilè credant, ideo Hispanis nullum jus fuisse Indos bello cogi ad suscipienda sacra. Quia infideles fuerunt & Pagani, justitiam belli defendit *Johan. Sepulveda*, cujus *Thuanus lib. 54. Hist. fin.* meminit. Ita quoque statuit *Alphons. Guerrerius in Specul. Principum c. 31. n. 5.* ita alii sentiunt, quos refert *Hieron. de Cavallos in Spec. comm. opinion. contr. comm. q. 735. n. 28. seqv. Thomas Campanella c. 6. de Monarch. Hispan.* non dubitat profiteri, *quod igitur Hispanus sub auspiciis victricibus acquirit, ipsius est: & hoc dico propter subjugationem novi orbis ab aliquibus culpatam. Nam cum Indi legem naturæ violarint, Rex Hispaniarum auspiciis religionis Christianæ se illis opponens jure illam possedit, sicut Moyses occupavit terram*

Sanctam, cum fuisset completa Amorraeorum malitia. Tria hic notanda, an bello peti possint, qui in naturam delinquunt? est in hac sententia *Grotius l. c. n. 40.* ubi multos contradicentes refert; deinde an Indi illi in naturam peccaverint; an Hispani deniq; tale præceptum à Deo habuerint, quale Moises habuit? Perversè Aristoteles de Persis dixit, in illos esse naturale bellum, quia barbari; rectè notatus propterea *à Grotio l. c. n. 40. Bodino l. 6. de rep. c. V. Vasquio contr. illustr. 24. n. 1. 2.* Quod Indos attinet, non fuerunt adeò barbari, quin *Josephus Acosta* diligens scriptor & veritatis amans *lib. 6. c. 1. Histor. natur. & moral. Ind. Occident.* non dubitat fateri, Americanos olim æquè tam civiles & moratos fuisse, ac ipsos Romanos, & alias gentes, ideoque summa injuriâ pro Hominibus barbaris, qui de nullâ societate civili scirent, habitos esse. Descripsit *l. 7.* (ni fallor, nam liber mihi

mihi jam non est ad manus,) Rempublicam antiquam Mexicanam, quam si quis legat, mirabitur prudentiam Ingarum. Dolendum sanè, quod liber ille egregius in sermonem Latinum nondum sit versus, cum alii minoris momenti quotidiè in varias linguas transferantur. In Belgicum sermonem vertit Hugo Linschotanus incommodè tamen, quia multa Latina verba retinuit, quæ Belgicè commodius tradi poterant. Scripsit vero A Costa lingua Hispanica, sibi & aliis injurius. Versione ego Gallica utor. Ex illa ratione *Dominicus à Soto, Didac. Covarruvias in. c. X. part. 2. v. 10. n. 1.* parum aulicæ gratiæ venatores non potuisse, quia infideles fuerunt, Hispanos Indis bellum movere concluserunt, licet *Ferd. Vasquius l. 1. contr. illustr. c. X. n. 11. & c. 24. nu. 1. 2.* lupum auribus tenens, sententiam Gverrerii nec probare, nec improbare voluerit,

rit, quia non vacaret scribere aut investigare. Rectè omninò non placuit, quia, si improbasset, in odium Hispanorum incidisset, quasi jura Regni in dubium vocaret, & privatus auderet disceptare de jure Regum & belli. Videatur quoque *Francisc. Victoria relect. de Indis & Alber. Gentilis l. 1. de jur. bell. c. IX. Henr. Salmuth in not. ad Pancirolli reperta. tit. 1.* Si itaque *Judæorum liberi, aut Pagani vi ad Christiana sacra trahi non possunt, sequitur neque Judæos, si nullas turbas dent, è Republ. ejici posse.* Est hæc quæstio apud Politicos trita; & si consulamus Historias, multi Reges contrarium fecerunt, & Judæos è Republ. exterminârunt. Ita olim *Tacit. l. 2. annal. de Tiberio.* Ægyptios Judaicosque ritus, coactis qui ea superstitione tenebantur, vestes Religiosas cum omni instrumento comburi jussit. Ita Ferdinandus & Isabella Mauros Judæosque ex Hispania, Neapoli & Du-

Ducatu Mediolanensi relegarunt, è Gallia Reges Galliæ, ex Anglia tempore Edoardi I. Regis anno 1291. ejecti, ut Polyd *Virgil. tradit lib. 17. Hist. Angl.* Ita è Regnis Sveciæ, Daniæ, Ducatu Saxoniæ, Wirtenbergico & Brunsvicensi extrusi: quo verò jure, meum non est disputare; præstitit hoc latè *Georgius Waltherus in Postilla Theol. jurid. Pol. Domin. Judica §. 116.* ubi tàm ex jure divino quàm humano probat tolerandos esse potius Judæos, & in hanc rem multos citat autores ejusdem sententiæ. Idem fecit *Simon Majolus Tom. III. dier. canic. colloqu. 1.* fusè tamen magis, quàm ad rem. Negamus nos, Judæis licentiam commorandi in Rep. dari posse, si in officio pietatis collocent animum hostilem adversus omnes Christianos, obstat enim hæc sententia tranquillitati publicæ, cujus maxima habenda est ratio. Si tamen juramento, quod solent, hanc suam diluant sententiam,

& cives in Republ. sint, aut alitèr Reipubl. cautum, ne quid ab illis immineat periculi, quid ni tolerari possint? Videmus sanè Romæ illis à Pontificibus concedi non solum licentiam habitandi, sed etiam commercia exercendi, ut testatur *Theodor. Sprengerus Rom. nova. l. 8 c. 2.* in Christianos verò, qui ex asse non servant normam fidei Romanæ, inquisitione sævitur & igni, injusta omninò ratione, qua hostibus Christi conceditur libertas, quæ Christianis & Christi vocem audientibus denegatur. Poloniam Judæorum asylum esse, non nemo dixit, & sanè tantis illi jam ab aliquot seculis usi sunt libertatibus & privilegiis, quantis nullibi aliás. Magnas planè immunitates á Casimiro M. acceperunt, reddit rationem *Cromerus lib. 12. Hist. fin.* quia usus fuerit consvetudine Judææ Hester nomine. Hujus opera gentem Judaicam magnas prærogativas in Polonia à Rege Casimiro

simiro adeptam esse, tum novas, tum quas olim Boleslaus Dux Calisiensium illis concesserat, confirmatas esse Vix tamen credibile, Regem optimum tam impio usum fuisse concubitu. Quicquid sit, hoc certum est, adhuc hodiè magna Judæos gaudere libertate, quam latè descripsit *Theodor. Scuminovius lib. de jure person. tit. 3.* Solent verò circa festum Ascensionis Christi in cœlum Cracoviæ inprimis à Studiosis, ut dicuntur, (est tamen plerumque fæx vulgi, & desidiosa calonum manus) impunè trucidari, quemadmodum ante annos duos & hoc anno Leopoli factum est. Jactitant vetus privilegium. Res mira. Nec solùm trucidant Judæos, sed & bonis exuunt, quorum gratia tumultus maximè fiunt. Res indigna planè Studiosis liberalium artium, quæ emolliunt mores, nec sinunt esse feros, multò minus fures. Ex Orco diducta hæc consequentia; Judæus est,

ergo impunè occidi poteſt. Illud tamen non nego, rem eſſe mali exempli, quod Judæis in Poloniâ telonia & vectigalia conduci ſoleant, unde fœcundam meſſem & occaſionem nanciſcuntur, quo Chriſtianorum opes & reditus ingentibus uſuris & fraudibus ad ſe trahant. Si veritatem fateri licet, Coſaci nullam ob rem hodieque rebelles ſunt, quàm quia magnis à Præfectis Regiis injuriis, & immani Judæorum avaritia penè non oppreſſi ſunt. Teſtatus Chmielnickius in literis ad Vladislaum IV. Regem noſtrum datis, non potuiſſe Coſacos diutius perferre! Regiorum Præfectorum inſolentiam, & intolerandas Judæorum depeculationes, ut rem narrat *Joachimus Paſtorius lib. 1. bell. Scyth. Coſaccici.* Non poſſent tamen Judæi ejici commodè è Regno Poloniæ, quia numerus incolarum hoc modo non exiguè debilitaretur. Videas enim paſſim in Polonia oppida

pida

pida nullo alio hominum genere, quàm Judæorum colluvie conſita. Alterum incommodum eſſet, quia ſi illis in Polonia manſio prohiberetur, multas opes ſecum è Polonia tracturi, & incolis Poloniæ mercatoribus Chriſtianis multa damna illaturi eſſent, quod plerumque mercantur pecuniâ & mercibus Chriſtianorum. Ait *Mariana l. 36. Hiſt. Hiſpan. c. 1. Judæorum multitudinem, qui ex Hiſpania diſceſſerunt, ad certum numerum revocare in promtu non eſt. Plerique Scriptores centum & ſeptuaginta familiarum millia abiiſſe confirmant, quidam ad octingenta millia capitum ajunt perveniſſe. Ingens numerus, & vix fidem inventurus, ſed unde multis occaſio extitit hoc decretum accuſandi, gentem copioſam & quæ omnes vias pecuniæ noverat, removere, à prudentia Ferdinandi alienum exiſtimantibus. Magno utique compendio fructuque earum Provinciarum, ad quas copiarum*

 Hi-

Hispaniæ partem magnam, aurum, argentum, gemmas vestemque pretiosam secum detulêre. Collegit ingentem thesaurum Johann. II. Rex Lusitaniæ, de quo antea è *Conestagii l. 1.* narravimus. Eadem incrementa senserunt aliæ Provinciæ, quæ Judæos in sinum suum receperunt, & simul eorum divitias ingentes. Contra Hispaniam, præterquam quod divitiis spoliata, magna incolarum penuria invasit, quam ipse fatetur *Didac. Saavedra Symb. Pol. 28.* & perspicuè ostendit *Hubertus Thomas Leodius in annal. de vita Frideric. 1. Elector. Palat.* mediterranea Hispaniæ loca planè deserta & sterilia esse. Quis non credat, si libertatem conscientiæ concedere velint Reges Hispan. loca illa sterilia facilè excoli hominibus posse? sed quia insolito planè zelo & insano rigore unam saltem mirantur Religionem Romanam, reliquas omnes igne persequuntur Reges, ideoque desolatam &

& inopiâ hominum laborantem malunt regere Hispaniam. Concludimus iterum; *si Judæi ob Religionem cogi non possunt ad Christiana sacri, neque ejici è Republ. multo minus cogi possunt, aut ejici illi, qui Christi legem pro verâ habent, de quibusdam tamen, quæ aut extra legem sunt, aut in lege scripta sensum habent ambiguum, dubitant, aut errant, ita Grotius l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. n. 50.* quoque argumentatur. Huc pertinet, quod aliquoties diximus, fidem esse opus intellectus, itaque illa non præcipi, sed doceri debet, quo intellectui fiat satis. Quomodo enim fidem intelligere possum, si nesciam, quænam sit tua fides? Itaque in quantum est opus intellectus, legibus non potest subjici, uti nec pœnis: quod enim voluntarium non est, id peccato caret quoque & reatu, adeòque pœnam non meretur. At hæresis, quatenus est error intellectus, non est voluntaria, ideoque

que sub numero peccatorum comprehendi non potest, aut in illam animadverti. Non negamus verò, in quantum opus voluntatis, à Deo puniri posse. Videatur *Herm. Conringius disp. de majest. civil. autor. circa sacra thes. 115.* cujus doctrinam in plerisque secuti sumus. Secus verò obtinet, si Christiani illi doctrinam suam implacidè & turbulentèr proponant, cum tranquillitatis publicæ periculo, & tunc permitti non debet illa doctrina. *Conring. thes. III.* si tamen decentèr & citra turbas illud faciant, temerè & nullo jure libertatem illis adimis. Oppugnant autem placita illa nova illam tantum partem fidei Christianæ, quæ superaddita est naturali religioni; vel illa etiam, quæ recta ratio citra omnem divinam revelationem de bonis moribus, colendo Deo & imperio civili dictitat. Posterioris ordinis sunt illa dogmata veterum Hæreticorum, ut Gnosticorum, qui crea-

creatorem cœli & terræ malum Genium fuisse crediderunt, ut Manichæorum, qui fanaticam opinionem de Diis duobus, uno bono, altero malo foverunt, ut testatur *Felden in elem. jur. univ. part. V. c. V. membr. II. artic. 1. n. 4.* ut reliquorum, qui promiscuum cōjugii usum, conjugiū omne tanquā opus malum fugiendū docuerunt, ut fuerunt olim, *Saturninus, Tatianus, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, Adamiami, Priscillianistæ,* & quorum plures refert *Johan. Seldenus l. 2. Uxor. Ebraic. c. 24.* Ad hanc classem referendæ opiniones seditiosæ *Anabaptistarum,* qui hodiè *Quakeri* in Anglia dicuntur, qui mundum à se regi debere contendunt, Reges involare in jura aliena & hujusmodi alia, magistratum omnem esse illegitimum, non licere se armis defendere, aut suppliciis capitalibus plectere sontes. Hæ sententiæ maximè juri adversantur naturæ, ideoque nequaquam

quam tolerandæ sunt. Huc pertinet sententia, quæ planè formiduloso exemplo Theologiam in vitam & necem Principum armavit, dum opinione inani cujusque calumniosè hæreseos insimulatos Reges à quocunque impunè occidi posse statuit. Hac ratione Parlamentum Parisiense *Johannis Marianæ librum de Rege & Regis institutione*, quod nefarium Henrici III. sicarium Jacobum Clementem Monachum Dominicanum inter sanctos retulerat, non dubitavit per manum carnificis publicè flammis dare, & parum abfuisse, quin idem fatum sentiret Bellarmini liber, quem adversus Barclajum scripserat, testatur *Gramondus l. 1. Hist. Gall p. 10.* Idem Parlamentum *Santarelli* Jesuitæ librum pestilentem comburi jussit per Carnificem: de quo *Gramondus lib. 15. Hist.* ubi contenta libri recitat. Quod prioris ordinis attinet, non licet saltem, sed debet etiam operam dare

dare summa potestas, ut errantes & hæretici sedulâ & pia doctrinâ in viam reducantur. Id manifestum ex illo, quando Christus ad Discipulos, *docete omnes gentes* dixit. Modum hunc ab Apostolis servatum, omnes quoque Ecclesiæ Doctores usurparunt adversus hæreticos. Urgent tamen nihilominus, hæreticis datam fidem non esse servandã, sed puniendos, sed morte multãdos esse. Olim Hæretici dicti ab Imperatoribus Constantinopolitanis, ut colligitur *ex l. 1. C. de summa Trin.* qui Christianam fidem Evangeliiq; doctrinam docentem unum Deum tribus personis non amplectuntur. Aucta dein definitionis vis, *& l. 2. C. de hæret.* dicti sunt hæretici, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite deprehensi fuerint deviare & ita Nestoriani, Ariani, Samaritani, Manichæi, Eutychiani hæretici vocati sunt. Quinam hodiè hæretici audiunt, ostendit

dit *Petrus Gudelinus l. VI. de jur. noviss. c. 16. Hæresis crimine notatur, quicunq; Catholicam & Apostolicam fidem non sequntur l. 2. c. de hæret. & novell. 109. pr. ut fuerunt olim Ariani, Manichæi, Samaritani, & nunc Calvinistæ & Lutherani. Augustinus l. de util. credendi, quem citat Grotius l. 2. de jur. bell & pac. c. 20. n. 50.* hæreticum illum dixit, *qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusque sui gratiâ, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur.* Num hæc fuerit Lutheranis & Calvinistis mens, vel centum Sudelini non probaverint, uti absurdè illos cum Arianis & Manichæis quoque comparat cœcâ planè calumnia. Ridicula altera exceptio est, quando Christus dixit, *docete omnes gentes*, aliud esse gentes, de

de quibus Christus loquitur, & aliud Christianorum illud genus, ad quod Lutherani pertinent, dequibus non loquatur Christus. Est illa distinctio *Nibusii Jesuitæ, in prol. ad Allat. de Johann. Papiss. n. XI.* ut refert *Conringius disp. cit. thes. 113.* qui æquè absurdum vocabulo gentium, Christum Gentiles solos intellexisse, atque illos solos esse omnem creaturam, quomodo Christum locutum esse refert Marcus Evangelista, rectè respondet. In eodem luto hæret *Ludov. Septalius* quando *l. 2. de Rat. Stat. c. XI.* ait, *nec verum, quod isti Novatores clamitant, conscientiam liberam esse debere, fidemque persvasam, non imperatam neque coactam; de infidelibus enim id verum est, qui ad Baptismum cogendi non sunt; verùm longè alitèr cum illis agendum, qui unam Religionem nobis-*

cum

cum jam sunt professi. Quid velit ultimis verbis, ego sanè non video. Quare enim opus est uti adversus illos vi aliquâ, qui eandem Religionem tecum profitentur? ne fortè desciscant? ita verò putat Septalius. Absurda consequentia. Illud etiam facit, quo minus rigore & pœnis adversus hæreticos utatur majestas civilis, quia non extingui ullis suppliciis potest religio. In vetitum magis nititur illa, & inter supplicia magis crescit. Testatur Belgium, ubi post carnificata ab Hispanis propter Religionem hominum non minus centum millia, ut *Grotius lib.* 1. *annal. Belg.* testatur, nihil tamen egerunt, quin potius numerus Dissidentium inter ignes & furcas magis ac magis auctus est. Nempe augescere delictorum pertinaciam, si remedia adhibeantur intempestiva, & plus æquo valentia ipse *Saavedra Symb.* 27. *p.* 213. fatetur.

tur. Testatur quoque experientia, in illis Provinciis, ubi Inquisitio adversus suspectos de fide instituitur, ingentem Atheorum catervam quotidiè enasci. Ita in Hispania, ubi nullibi magis accuratè sævit Inquisitio, cujus incunabula descripsit *Fam. Strada de c. I. bell. Belg. l.* 2. & rigorem summum *Hubert. Thom. Leodius l.* 6. *de reb. gest. Frider. & l. XI. annal. p* 226. *seqv.* nullibi tamen majorem hominum illuminatorum & fanaticorum numerum reperias, quanquam illud vitium adscribit temperamento Hispanorum *Bodinus l. V. de Rep. c.* 1 *p.* 788. Nota Magdalenæ de la Cruz Historia; quæ sanctitatis fama celebris mox imposturæ damnata; ut tamen vexillum Prætorium classis illius, quæ Angliæ jugum imponere debebat, solenni precationum ritu sacraret, à Philippo Rege invitata est, *nimio pietatis studio haud pie, certè omine non bono,* ut refert *Strada dec.* 2. *bell. Belg.*

Belg. lib. 9. In Italiâ ipsa multos reperiri Atheos, magis fortasse notum, quàm ut ulla probatione indigeat. Videatur de Lucilio Vanino, Atheorum Aquilâ, Italo *Petr. Firm. secul. gen. diss. 6. & Gramonodus L. 3. Hist.* Eleganter huc verba *Petri Matthæi* quæ *lib. VII. narrat. 2.* §. *8.* habet, faciunt; *ingenia quorundam in Italia sunt satis libertina, quæ sibi placitis tantum fidem habere, & credere, admodum institutum Deum colere, & suo judicio fideque stare volunt, & quo propiores sunt Pontifici, eo minus fulmen Vaticanum curant. De animâ opinionem in voluptatibus & deliciis ponunt eamque pro salis grano habent, quod corpus â corruptione tutum servat, atque in hoc unice incumbunt, ne homines videri queant.* Ex illis incommodis apparet, non licere non tan-

tantùm, sed neque ex usu esse Reip. in hæreticos & errantes animadvertere; iniquam esse omnem vim non saltem autoritate sacrarum literarum, sed rationibus, & sententiis Patrum, latè declaravit *M. Ant. de Dominis lib. 7. de Republ. Eccl. c. 8.* Autoritati denique Lipsii *Thomas Morus* opponi potest, qui in *Utopia sua l. 2.* libertatem conscientiæ dari debere concludit. Valuit autem sine dubio Morus majori in Politicis prudentia & doctrina, quia maximis admotus Reip. negotiis aptiora Reip. suadere potuit, quàm Lipsius, inter Gramaticas nęnias & Criticas tricas mortuus. Ita *Johann. Bodinus l. IV. de Rep. c. VII. si Princeps aliquis certissimas de lege divino assensiones animo comprehensas habeat, subditosque varietate & multitudine sectarum distractos, in suam sententiam pertrahere volet, vim amovere debet, nã quo*

graviora supplicia irrogabis, eo minus perficies, cum ea sit in hominibus insita vis & natura, ut ad aliquid assentiendum sponte duci velit, cogi nolit. Ita *Johann. Barclajus. l. 2. Argenid. c. 3.* quamvis vehementer sub persona Ibburranis in Hyperiphanios invectus esset, *pacem tamen bello præfert, si bello abstineant, patianturque se mitius haberi.* Sunt sanè bella civilia, quæ ob Religionem moventur, populo tandem exitiosa, adeo, ut quamcunque victoriam assequare, in necem sit utrique parti. Videatur quoq; *Alber.Gentil. l. 1. de jur. bell. c. X.* Proximum est, ut errorem illum, qui illis inhærere solet pertinacitèr, qui cœco planè obsequio castra Acigniorum sequuntur, excutere. Est enim error ille, si quis alius,

alius, non solùm stupidus, sed perniciosus planè, qui multis Rebuspublicis immane damnum intulit, quæ Camerinam illam temerè movere conatæ sunt, quæ movenda non erat. Est autem ille, quando liberum exercitium Religionis illius, quæ fidem Romanæ curiæ non colit, penitus negant. Et in hâc sententia *Johann. Mariana l. 3. de Rege. c. XVII. Saavedra Symb. Pol. 24. Traj. Boccalin. relat. 64. cent. 1. Ludovic. Septalius. l. 2. de Rat. Stat. c. XI. Machiavell. l. de Princ. c. V.* & inter omnes *Lipsius in libro adversus Dialogistam.* Cujus liber, si ad manus esset, utique censoriâ virgula paulisper notaretur: quia vulgò Politicorum Coryphæus apud multos audit absque merito. Laudat Saavedra constantiam Philippi II. ejusque successorum, quod nunquam in-

induci passi se fuerint, ut ad componendas seditiones in Provinciis Belgicis libertatem conscientiæ concederent, tametsi hac ratione dominia integra servare potuissent, pluris Dei gloriam & honorem æstimantes, quàm felicitatem propriam. Crudelis planè superstitio, quæ in carnificinâ tot millium Dei gloriam promoveri credit. Potuisse autem servare Reges Hispaniæ Belgium, si libertatem conscientiæ permitterent, confirmat colloquium Philippi Marnixii cum Alexandro Duce Parmensi, quod recitat *Strada l. 7. bell. Belg. dec.* 2. Si hoc verum est, quomodo hæc cum prioribus coincidunt, quando ibidem stultè inquit, è *promiscuâ Religione Provincias in sectas & studia distractas, neque inter se, neque cum Deo aut cum Principibus Dei ministris servari posse pacem.* Nihil magis Provinciæ Belgicæ, quam pacem optarunt, quam summis precibus, sed frustra toties flagi-

flagitarunt, cum Hispanus sub prætextu Religionis eas in Provinciam redigere & privilegia adimere conaretur, quod Pater Carolus V. jam tentaverat. Hæresin in causa fuisse, propter quam Belgici tumultus orti sint. *Strada l. 2. dec. 1. bell. Belg. fin.* refert. Verum hoc est, si à parte Hispanorum intelligatur; falsum, si à parte Belgarum. Non propterea Belgæ rebelles facti sunt, quia Lutheri aut Calvini doctrinam in Religione Christianâ susceperunt; sed quia illis negatum ab Hispanis per vim Religionis exercitium, quod per injustissimam convertendi homines methodum, per Inquisitionem, promiscuè & per crudelia tormenta ad furcas & ignes rapti, quia Romanam fidem sequi recusabant. Mansit sanè in dubio, an majorem gloriam ex tantâ hominum laniena & Deo gratam victimam mactaverint; an potius ingens dedecus ex tot amissis temerè divitibus

bus Provinciis magis attraxerint Reges Hispaniæ. Ait *Gramondus l. 6. Hist. Gall. Ordines Batavos exacto seculo Regum pertæsos excussisse jugum Hispanicum, gentem hodiè de facto liberam.* Sed hæc mera calumnia est. Qui etiam parum stetit promissis, *ex quo se nihil odio aut ex gratia scriptu-rum* in principio Historiæ suæ promiserat lectori, cum pleraque fœdo adulatus affectuum obsequio contumeliosè de Sectariis scripserit. Hinc quoque Reformatos in Gallia ab odio in Reges tanta vi bellum adversus Ludovicum XIII. molitos esse scribit, cum tamen Henricus IV. ejus pater ope Sectariorum ad solium Regale post tot exantlatos labores & devoratas belli civilis molestias promotus fuerit, ut ipse fatetur. An ergo ab odio in Reges bella moverunt? ipse tandem Gramondus coactus dicere, Ludovicum specie Religionis & opprimendi Sectarios Monarchiam Gallicam stabilivisse,

visse, & capta Rupella, libertatem Procerum depressisse. Concludimus itaque, diversitatem Religionis Reipubl. nequaquam nocere. Exemplum nobis Respubl. fœderatarum Provinciarum dat, ubi in Hollandia in primis, Amstelodami, Lugduni Batavorum, Enchusæ & alibi Lutheranis, Anabaptistis, Mennonistis, Brounistis, Arminianis, Pontificiis, Judæis exercitia Religionis conceduntur. Quis unquam tumultum ob diversitatem Religionum ibi vidit; quis contra non videat hodiè urbes & multitudine incolarum & divitiis planè scatentes? Deinde oriuntur quidem in Republ. ob diversitatem Religionum interdum tumultus; *fiunt tamen illi non tàm ex dissensu, quàm ex negata dissentiendi libertate, & pœnis civilibus in dissidentes constitutis.* Hac ratione in Belgio tumultus orti sunt. Hinc illa seditiosa aularum

carcinomata, & belli civilis fomites, qui omnem diversitatem Religionum è Republica ejiciendam urgent, ipsi eadem pœnâ multari debent, ne in Principem cadat profusi temerè sanguinis ratio. Sanè quamdiu in Polonia salutari consilio Reipubl. Dissidentibus dabitur liberum Religionis exercitium; tamdiu habebimus Rempublicam commerciis, opificiis, & viris valentem; tamdiu concordia res nostræ crescent, & machinas hostium, quos sanè multos & magnos habemus, tutò ridebimus.

CA-

Caput XIV.

Ostenditur per anacephalæosin adversus Conringium, Scopum Poloniæ intendi & esse communem omnium civium æqualitatem & salutem.

Hoc Capite mihi res erit in primis cum Conringio, quia evincere conabor, alium planè esse Scopum Reipubl. Polon., quàm quem auditoribus suis inculcavit Conringius. Certum hoc est, omnem æqualitatem omni Reipubl. perquàm utilem esse. Hinc *Aristoteles l. IV. Pol. c. XI.* eam communionem civilem optimam dixit, quæ è *Mediis*, & alibi, quæ è *paribus & similibus* constaret. Ante quam autem per singula capita curramus, & æqualitatem in Polonia ostendamus; necessario no-

tandum eſt, ſub vocabulo civium in Polonia Nobiles comprehendi, qui in Polonia propriè dicti ſunt cives, quia illis ſaltem ad honores aditus patet, perinde *ut* apud Venetos, de quibus *Contaren. lib. 1. de rep. Venet.* Habentur tamen Magiſtratus urbani, Cracovienſis, Vilnenſis & Dantiſcanus pro Nobilibus, quia in Comitiis votum habent. Regalium verò & ſpiritualis ditionis oppidorum incolæ *pro plebejis liberis:* Nobilium *pro adſcriptitiis* reputantur, ut tradit *Theodor. Scuminovius de jur. Perſon. Tit. 3. n. 39.* Diximus *cap. 2.* formam Reipubl. Polon. eſſe Regiam, ſed Ariſtocraticè temperatam & mixtam, ita ut Rex de ſumma poteſtate quandoque ſolus participet in quibusdum, in plurimis tamen Nobiles ſimul. Et hæc Reipubl. forma trutina quædam, qua Regis poteſtas examinatur, ne Rex abutatur potentia ſua, ne leges aut pro libitu mutet, aut ſupprimat, ne bel-

lum temere moveat, ne tributis ſubditos exanimet; ne nova vectigalia imponat, ne ad exteros honores deferat. Eſt hæc forma lapis Lydius, ad quem examinatur poteſtas Nobilium, ne temerè Regi rebelles fiant, aut benè Rempubl. regenti moleſtias creent, ne quisquam magnis pollens opibus, caput erigat, & alios ſupprimere tentet, ne magiſtratum in perniciem Reipubl. vertat. Æqualitas hæc eſt ſalus Reipubl. Olim major fuit Regum noſtrorum poteſtas, & illam *cap. 3.* oſtendimus: cœterùm multum illa mutata eſt, ex quo Reges religionem Chriſtianam ſuſceperunt & exteri ad Regni habenas vocati. Scilicet illa poteſtas verè Regia, quæ Reipubl. ſalutaris, quæ intra modeſtiæ & æqualitatis coërcetur fines. *Nos ſtulti,* ait rectè *Mariana l. 1. de rege. c. 8. Majoris potentiæ ſpecie decepti, nullam, niſi quæ omnem ſubditis ademit,*

Regiam potestatem credimus, non satis considerantes, eandem demum tutam esse potentiam, quæ viribus modum imponit. Quando autoritas Parlamenti Parisiensis salva & illibata stetit, subditorum salus promota est, neque Reges Galliæ tanta & tàm multa edicta pecuniaria populo imponere potuerunt, quorum Henricus IV. supra novem quinquaginta vulgaverat, de quibus *Gramondus l. 1.* Ex quo verò Regibus in prædam cessit libertas, relictis Parlamento exuviis, vana libertatis larvâ, coguntur omnes ad tibiam, qua cantat Rex, saltare Galli, quamvis interdum tonus sit admodum acutus, gravis & dissonus. *Regnum Poloniæ esse electitium cap. V.* ostendimus, illustre æqualitatis Poloniæ argumentum. Testatur enim experientia, omnia regna ex electitiis hæreditaria facta, majorem na-

cta esse potestatem, subditis nimis gravem. Regnum Hispaniæ electitium fuisse, ex Mariana demonstravimus, & tum temporis exiguam fuisse Regum potestatem; sed postquam ad successores certa lege delatum est Regnum, quantum mutatus ab illo Status Reipubl., ut hodiè omnes tacitâ veneratione cogantur jugum trahere, quod primus collo illorum adaptavit Ferdinandus Catholicus. Quàm svave verò & molle illud sit, testantur Catalonia, Lusitania, Neapolis & Sicilia, Belgium; quorum aliis benè cessit tentata novitas, & rident hodiè Hispanorum numellas: aliis verò malè alea cecidit, quod illis duplicatum jugum. Acriora injecta sunt fræna equo Neapolitano, ita ut hodiè planè incomtus, & vix corium trahat. Surdis sanè fabulam narrare videtur *Saavedra*, quando *Symb. XCV.* Italis persvadere conatur vel potius imponere, *Regimen Hispanicum esse*

beneficum & lene: falsitatis ea omnia arguit *Trajanus Boccalinus in lap. Lydio rel. 1. & 25.* propterea fustibus malè exceptus ab Hispanis Venetiis. Regnum Daniæ, quod nuper hæreditatis titulum accepit, potentiâ quoque auctum est, ut lasciviam Nobilium hodiè coërcere possint Reges, cui antea penè ad nutum subjecti erant. Magis in Polonia ad æqualitatem facit, *quod nullus incola Rex eligi possit*, ne hâc ratione familia privata, aucta honore Regio, per clientes suos & amicos jus electionis & libertatem prævertat. Stabit eo usque æqualitas illa suo vigore, quo usque incolam Regem Polonia non videbit. Accedit, *quod non temerè Austriacâ* domo oriundus eligi Rex Polon. possit. Est enim omnis Austriacus juratus libertatis hostis, hinc metus, ne ob vicinam potentiam, vi aut clam, æqualitatem, quæ inter Regem est & Nobiles, supprimat. Signum æqualitatis

tatis est, *quod omnes Nobiles, sive Senator sit, sive Episcopus, eodem jure, eadem libertate Regem eligant.* Signum æqualitatis, quod nemine contradicente eligi debeat. Signum æqualitatis est, quod capite VI. tradidimus, *Regi nequaquam licere extero cuiquam præfecturam, arcis aut alios honores concedere*; & ita salus civium ex æquo attenditur. *Quod Ducali aut Regali stemmate natis nulla præfectura aut Episcopatus concedi possit*, est hoc signum æqualitatis illustre planè. *Quod Comitia in Polonia celebrentur*, æqualitatem & libertatem civium sapit. Frustra illa hodiè in Gallia expectabis, aut in Hispania: sunt enim Comitia statui Monarchico adversaria, perinde ac Concilia sedi & Monarchiæ Ecclesiasticæ. *Quod Nuncii terrarum ad Comitia mittantur, uti salutem civi-*

um promoveant, quid quæso hoc est aliud, quàm æqualitatem & salutem civium attendere? Æqualitati student Poloni, *quia parta tueri malunt, quàm nova acquirere.* Optimè Aristoteles *l. 4. Pol. c. XI.* Reipubl. statum in mediocritate opum & facultatum consistere debere. Neque felicitas alicujus Regni in lato Imperio & finibus sita est. Fuit quidem Romanis olim nihil magis curæ, quàm ut quotidiè Provincias adjicerent imperio novas: sed illa moles præpedita dein magnitudine suâ spontè corruit. Prævidit illam ruinam prudens Imperator Augustus, ideoque in Breviario Romani Imperii Tiberium monuerat successorem, coërcendi intra terminos Imperii *Tac. lib. 1. annal.* *Ne Rex quicquam alienare de Regni bonis possit*; signum est æqualitatis. Nihil sanè magis noxium, quàm si Princeps temerè pecuniam & reditus Regios per profusas dilapidet largitiones

tiones; hinc rectè Galba Neronis donationes revocavit. *Tac. l. 1. Hist. vid. Bodin. l. VI. de Rep. c. II. & Saavedra Symb. 40.* *Quia Rex bona Nobilium per emtionem & alios titulos ad se trahere non potest*, publicæ hoc ipso cavetur æqualitati & saluti, ne potentiâ domi quæsita in leges publicas involet, electionem liberam tollat, aut dominatum affectet. *Nec licet Regi uxorem ducere privatam & domesticam*, ut æqualitas in Polonia magis floreat. Illud ad æqualitatem quoque eximiè facit, *quod jus primogenituræ in Polonia locum non habeat.* Rectè ait *Fredro p. 197. c. VI. fragm. Pol. magis convenire cum Natura Reipubl. ad æqualitatem retinendam, dum filii Nobilium*

bilium æqualitèr succedunt in bona Parentum; quàm ubi major natu omnium bonorum exasse hæres est, exclusis fratribus minoribus. Non sine jure queritur *Saavedra Symb. 66.* prærogativis natalium impediri sobolis procreationem; quia, dum frater natu maximus omnia familiæ bona sibi vendicet, cæteri cogantut, aut cucullum induere, aut Martem sequi. Videatur de Anglis quoque *Thom. Smithus l.3. de Republ. Angl. c. 9. de Sinensibus Joh. Petr. Mastejus l. 6. Hist. Indic. & Nicol. Trigautius c. 6. de expedit. Christ. apud Sinenses. de Japonensibus Varenius descript. Jap. c. XV.* apud quos primogenitura valet. Notandum quoque, Nobilitatem Polonicam propter æqualitatem servandam, superbos respuere titulos.

tulos. Hinc Samoiscius honorem aurei velleris recusavit, quod illi â Legato Hispaniæ offerebatur. Hinc *Theodor. Scuminovius tit. III. de jur. Person. n. 30. quamvis in Polonia multi Ducum, Marchionum Comitumque avitos & propriis concessos meritis ab Imperatore Romano titulos habeant; jure tamen Regni omnes æquali Nobilitatis prærogativa gaudere, adeoque ad Senatoriam dignitatem, quæ hic maxima est, uniuscujusque virtuti, dum modo sit Nobilis, patere aditum.* Quia pax Religioni in Polonia concessa, attenditur salus civium, quam etiam apud alios populos hoc medio egregiè promotam videmus. Denique, quod maximum est, *leges*

ges *Poloniæ*, ut ait *Piasecius Chron. p. 536. ad conservandam maximè mutuam Nobilium æqualitatem comparatæ sunt.* Plura addere supersedeo. Sufficiat mihi, & Tibi, Lector benevole, demonstrasse, *Scopum Reipubl. Poloniæ intendere & esse omnium civium æqualitatem & salutem.* atque eo ipso scopum, quem Hermannus Conringius Poloniæ Reip. affinxit, manifestæ falsitatis reum fecisse.

Addenda & Notæ.

AD *pag. 16.* verba: *hæreses in Anglia)* inter illas præcipuæ sunt, Sectæ *Brounistarũ*, *Separatistarum*, *Sebaptistarum*, *Expectantiũ*, *Antiscripturistarum*, *Manifestariorum*, *Familistarum*, *Perfectistarum*, *Non-Residentium*, *Pluralistarum*, *Traskitarum*, *Heteringtoniorum*, *&c.*

Ad *pag. 36. Marc. Zuer. Boxhorn.)* refert tributa illa ac vectigalia in eleganti *commentario de statu fœderati Belgii c. 24.*

Ad *pag. 44. Thomas Lansius.)* Refert quidem verba illa Lansius, non tamen sua, sed *Gvilhelm. Barclaji.* qui *l. IV. advers. Monarchom. c. 13. in fin.* ita inquit, *si Rex apud Polonos eum ordinem, tenet, quem Dux apud Venetos, & hic quidem non nisi nomen Ducis tantum obtineat, sine*

ulla

ulla imperandi facultate, quod verum est, imperiumque totum in Senatu resideat; nonne ei consequens est, Polonicos Reges non nisi nomine tantum Reges esse, imperio reverà penes Optimates consistente? hoc illud fortassis est, quod soli mortalium Poloni ex regionibus longinquis Reges sibi asciscunt, quasi nulli apud eos imperio digni nascerentur; vel, quod verius est, quod nemo, nisi peregrinus & ignarus rerum Polonicarum velit sub regii nominis velamento splendidam servire servitutem. Poloni itaque,
„ *si rem propius intueare, nec Re-*
„ *gnum habent, nec Regem, sed Oli-*
„ *garchicum regiminis genus fuca-*
„ *ta Regni specie & inani Regis titu-*
„ *lo adumbratum.* Rectè quidem concludit Barclajus, si Rex Poloniæ eandem potestatem planè habet, quam usurpat Dux Venetus; ergo Rex Poloniæ nomine tantum erit Rex. At verò falsissimam ineptissimamque comparationem esse, hoc eodem capite demonstravimus. Gaudet Rex noster in quibusdam verè Regia potestate, in quibusdam participant Senatus & Nobiles Regni, quorum tantus & tam magnus est numerus, ut risu dignus, & in Scholâ Politica meritò hospes dicendus sit, qui illis Oligarchicum aliquod regiminis genus adscribere tentet. Est autem Oligarchici regiminis differentia specifica, qua ab aliis formis distingvitur, ut & divites Reipublicæ, atque *alto in solio pondera Regni patiantur*, sicut ait *Silius Italicus lib. 16. Bell. Pun.* & pauci quoque.

Ad *pag. 99. Hispan. Regem*) Concludit *Didac. Covarruvias Tom. 1. c. Possessor. part. 2. §. 10. v. 5. Hispaniarum Reges, etiamsi nullum privilegium habuerint à Romanis Pontificibus ad præsentationem Episcoporum, qui Ecclesiis Cathedralibus præsint, posse jure optimo, ut Ecclesiarum Patronos jus istud ex præscriptione obtinere*

nere, ſiquidem Hiſpaniarum Reges Patronatus jus obtineant in Eccleſiis Cathedralibus, cum eas erexerint, conſtruxerint, & amplis patrimoniis dotaverint. Pergit dein de Regibus Galliæ, *Johan. Ferraldus in tract. de inſign. Pecul. Reg. Franc. 9. Jure Carol. Degraſſal. l. 2. Regal. Franc. Jur. 3. Chaſſanæus Catal. Glor. mundi. part. 3. Conſid. 24. num. 294. multis autoritatibus probant, Regem Gallorum eam habere poteſtatem & autoritatem, ut abſque ejus nominatione & conſenſu nullus Eccleſiæ Cathedrali præficiendus ſit.* Perſpicuè tamen magis & juxta tenorem Concordatorum cum Pontifice Romano controverſiam illam examinat *Joh. Limnæus. Tom. II. Notit. Regn. Franc. lib. 3. c. 3. & proviſionis jus ad prælaturas Regni concordatis ita diviſum deprehendi*, narrat, *ut Regi* (Galliæ) *denominatio, Pontifici collatio competat: Nominationi autem, quam per concordata exercet Rex, cer-*

tas præſcriptas eſſe regulas. Quænam ſint illæ, apud Autorem Lector inveniet. Rex Poloniæ nominat non ſolùm Epiſcopos, ſed conſtituit, ut adeo, quantum ad Pontificem ſpectat, præter pallium nullare amplius aut confirmatione indigeant Epiſcopi.

Ad *p. 111. 112. quo Nobilis ſortis ſuæ oblitus*) Verum quidem eſt, haud temerè occurrere exemplum in hiſtoriâ noſtra, Nobilem aliquem Statum Reipublicæ voluiſſe mutatum, aut ſeditionem adverſus Regem excitaſſe; hodiè tamen planè aliam præ ſe ferre videntur faciem. Utinam Deus ad pacem animos Procerum deflectat, & Polonia ſæpè malè concors diſcat, à ſola Concordia ſui ſtabilitatem pendere Imperii; non illi hoſtium acies, vel ut apum examina pullulantes, metuendæ eſſent, quàm unica diſſenſio, certa libertatis dominiiq; ruina.

Stanisl. Kobierzycky lib. 9. Hist. Uladisl. Princ. ad *pag. 123. informationem)* Præter alios, qui Scholas Jesuitarum laudant, facit hoc *Francisc. Baco de Verulamio lib. VI. de augment. scient. c. IV. ad pædagogicam quod attinet, brevissimum foret dictu, consule Scholas Jesuitarum. Nihil enim, quod in usum venit, his melius.* Vide tamen omninò notas ad cap. 2. Compend. Politic. novi.

Ad *pag. 126. jus dicebant.)* Quale nam fuerit illud jus, certò non constat. Agit de Slavorũ legibus *Dominicus Mauri in Historia Regni Slavorũ,* quæ *ann. 1601. Pesari* Italicè edita est. Annales quoq; Francorũ curâ Pithoei editi circa an. 849. memorãt, Tactulfum quendam non ignarum legum & consuetudinum Slavicarum fuisse. Verisimile est, fuisse jus illud Sclavicum, aut ad Slavicarum legum mentem accommodatum, quo non solùm ipsi Poloni, sed Silesii quoque usi sunt. Testatur enim *Caspar Schiferdegkerus disput. forens. lib.*

lib. 1. tit. 30. qu. 3. Silesios olim Polonorum jus habuisse, maximè circa bona hereditaria & allodialia occupatum. Altum verò apud Scriptores Polonos & Curæum quoq; de hoc jure silentium, quos propterea negligentiæ accusare Schiferdegkerus non dubitat.

Ad *pag. 141. Romanis obligari legibus.)* Propterea rectè dicit *Limnæus. Tom. I notit. Regn Franc. l. 1. c. 8. Jus civile tanquam rationem æquitatis apud Gallos obtinere, ex qua jus, quod sibimet ipsis constituerunt, interpretantur, atque ita pro testimonio, aut responso Prudentum habent, quod judicem informare possit, non pro lege.* Imo ex *Juliano Taboetio* refert leges & titulos juris Romani, qui in Gallia planè nõ observantur. vid. quoque *Franc. Duaren. comm. in tit. ne uxor pro marito. XII.* Num in Hispania idem honor exiguus juri civili Romano deferatur, non est, quod dubitamus, cum expresse

Alvarus Gomecius lib. 4. de reb. gest. Ximenii p.93. scribat, *Ximenium, juri civili ne ullus in Academia Complutensi esset locus, lege severissimâ cavisse.* Quod Poloniam attinet, si statutum illud Casimiri Regis, quod Uladislaus Jagello in castris prope Czervviensko anno Domini 1422. confirmavit, perpendamus, apparet, nullum planè locum datum fuisse juri civili Romano; ita enim expressè verba edicti sonant; *præterea perpetuô edicto statuimus, ut omnes & singuli homines Regni nostri, cujuscunq; conditionis, status, dignitatis, aut gradus fuerint, causas in judiciis nostris terrestribus proponentes, vel proponere volentes, singulariter, singuli & generaliter universi eodem jure, modis, consuetudinibus & ritibus per Regnum nostrum potiantur; nec audeant judices sedibus & tribunalibus judiciorum præsidentes, alios modos, ritus & consuetudines, circa*

terminos & sententias observare, nisi illos, quos præfati Domini Casimiri liber & Constitutiones doceant & informent, ad quem semper recurrant. Hodiè tamen, ut diximus, aliter se res habet. vid. Andr. *Lipsky quæst. publ. dec. qu. IV. n. 9.*

Pag. 150. justitia vendi non soleat.) Simpliciter tamen hæc intelligenda non sunt. Uti enim in aliis Judiciis crescere solet Justitia, quantum ipsa pecunia crescit; ita Poloniam nostram & Judices ab hoc morbo atque auri sacrâ fame non liberamus. Saltem volumus, quia officia Judicum in Polonia vendi non solent, ideo non esse causæ, quare amplis donationibus inhient Judices. De causidicis verò alia res est. Hi enim tam probè clientes suos pecuniâ emungere callent, quàm ipsi Germani aut alii.

Pag. 170. de Nobilis alicujus Capite) Ita vulgò dicitur, & fieri quoque assolet. An è re sit pacis & commo-

di publici, meum non eſt, diſputare. Juſtitiam fundamentum Reipublicæ eſſe & legum, ipſi Ethnici olim docuerunt. Hodiè interdum Democrito opus eſt aut Diogene. Vereor ſanè, ne locum inveniant verba *Stanislai Kobierzycky*, Hiſtorici omnibus numeris abſolutiſſimi, quæ habet *libr. VII. Hiſt. Uladisl. Libertatis id noſtræ vitium eſt, ſeu potius licentiæ; publicæ patrocinari inſolentiæ, pœnasq; retardare ſcelerum; cum factionibus ambitioni noſtræ inſervimus, illarum autores fovemus, ſubita occaſioni admovendos, non absq; exitio Rerumpublicarum.*

Pag. 173. ſed minorum Magiſtratuum) Hoc ipſo ruit ſententia Lipsky, quando *quæſt. publ. Decad. quIV. n. 3.* ſtatuit, Authenticam Friderici Clericis in univerſum conceſſiſſe fori prærogativam, ne coram magiſtratu civili conveniri poſſint.

Pag. 174. ingens ſanè privilegium.) Jacti-

Jactitant inprimis Clerici Poloniæ exemtionem, cujus vigore coram Judice ſeculari ſe ſiſtere non teneantur. *Andreas Lipsky loc. cit. n. 1. & 4.* non ſolùm Clericos à Judice laico judicari, ſed fori privilegio renunciare quoque poſſe negat. Utitur autem argumentis è jure Civili & Canonico petitis. Aſt quid nobis cum jure Romano? num Friderici Imperatoris Conſtitutione, quam citat *Lipsky quæſt. V. n. 2.* tenetur Reſpublica Poloniæ? Eadem ſanè ratione ſi quis dicat, hæc lex apud Gallos in uſu eſt; ergo Poloniam quoque obligat? Falſa non ſolùm, ſed perverſa planè ſententia, *Statuta contra jura Eccleſiæ vel Clericorum promulgata ex volumine legum abradi debere.* Omnes enim leges eatenus juſtæ ſunt, quatenus honeſtæ & ſalutem Reipubl. promovent; ſi eandem impediant, tantum abeſt, ut juſtæ ſint, ut potius Reipublicæ jure il-

lo, quo subditorum salutem adjuvare tenetur, competat, legem illam perniciosam abrogare. Et ita rectè per publicam constitutionem appellationes Clericorum ad Curiam Romanã sublatæ sunt, de quo vid. Piasecius. Ita alii juris Canonici abusus censuram senserunt. *An propterea leges illæ impiæ ac detestandæ sunt; an illi sacrilegium committunt, qui illarum Autores?* Temeritas est, leges illas, quæ consensu omnium Ordinum in Comitiis feruntur, impietate aliquâ notare, nec solùm leges, sed Autores quoque legum. Falsa est sententia; *quando statuta aut leges Laicorum specificè disponunt super bonis vel personis Ecclesiasticis, etiamsi commodum & favorem earum concernant, nullo tamen modo servari debere. Ratio est, quia neque Imperator neque Rex, nec alius secularis habet potestatem super Ecclesias aut personas spirituales.* Vapulat hæc Philosophia juris

juris Canonici in Gallia, ubi Sextus Decretalium liber nunquam receptus est, neque alia capitula, quæ jura Regia & consuetudines antiquas oppugnant, tolerantur hodiè. Vid. *Limnæus Tom. cit. & loc. lit. N. in not.* Eadem Venetis mens est. Salutem profectò Reipubl. negligit, quisquis tantam autoritatem & infallibilem sanctimoniam legibus Canonicis attribuit, quantam adscripsit *Lipsky quæst. IV. n. 10.* Quidni valeant Statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam promulgata? alia enim libertas est Ecclesiæ, alia Cleri. Quæcunque autem libertas salutem, pacem & justitiam publicam violat, ea ipso jure non libertas, sed licentia, sed injustitia est. Ejusdem farinæ sunt reliqua Lipsky argumenta, cujus libertati facilè veniam dabis Lector, si te non lateat, fuisse illum Episcopum Luceoriensem.

P.206.Cosacis descensus.) Ita Fredro. Cæterùm, quantum ex relationibus illorum hominum, qui loca illa lustrarunt, percepi, Cosaci malunt lembos suos plaustris impositos ad locum devehere, quo colles Borysthenis nulli, nec cursus navium impeditur.

P.209.Tabor) Describit illam Exercitus munitionem Piasecius Chron. p.398. Sulicovius comm. rer. Pol. 24. Stanisl. Kobierzycky lib. 9. Hist. Uladisl. qua usus adversus Turcas & Tartaros Zolkievius, vir, si quis alius, Imperatoris artibus eminentissimus: qua etiam vicisset, & impetus hostiles elisisset, nisi discordia & calonum lixarumque temeraria manus rem perdidissent.

P. 211. ad castra Chocimensia) Rem narrat *Piasceius.p 406.Chron.& Kobierzycky lib.9.p.747.* Compositos munitosque per confertos sese expedivisse hostes (Turcas,) & octi-

duo impendentibus, Turcis inter continuos conflictus stragẽ clademque hosti inferentes, in liberum nihilominus campum & ad Polona evasisse castra, designatamque Stationem cepisse.

P. 217. post Muschoviticam expeditionem) Tumultus illos præter Piasecium eleganter narrat *Kobierzycky lib. 7. Hist.* Invaserunt tum temporis tres seditiosi exercitus Poloniam, qui ordinatæ novæ Reipubl. Tribunos Centurionesque addiderunt, qui consiliis præessent, conditiones fœderis conscripserunt, omnesque jurejurando se obstrinxerunt Mareschallo obtemperaturos, qui tunc erat Josephus Lieklinius, commune periculum communibus propulsaturos viribus, nec quieturos prius, quàm Stipendia ad assem usque numerarentur; Regiis præfecturis, bonisque Ecclesiasticorum in singula jugera, miserum in mo-

dum divexatis colonis, immania imposuête tributa, exigenda tamdiu, quam diu debita non solverentur Stipendia. Fuerunt hi milites Demetriani, qui, ut & Sapiehanæ ac Smolenscenses copiæ præter Stipendia, infinita postularunt donativa, mercedis pactiones, quæ omnia in unam redacta summam decem milliones vulgarium florenorum efficiebant. Conquisita verò pecunia partim ex ærario publico, partim à nonnullorum oppignoratâ supellectili, partim ab amplioribus imperatis tributis, denique liberalitate Ecclesiasticorum Præfectorumque bonorum Regiorum; vix tamen tam immanem complevit Charybdim placatosque reddidit milites, qui insolentem illam licentiam ultra biennium impunè exercuerant. Notatu digna verba Kobierzycky, quæ addit, *p.465. Pudet pigetq; paucorum libidini Poloniam velut servili*

addictam obsequio tributariam fuisse, nec sine rubore leget posteritas, vix à millibus quindecim tam potens Regnũ velut fræno injecto, pro libitu circumactum fuisse. Et *pag. 468. Unicum illa tempora posteris dedêre documentum, quid possit valeatq; in suâ causâ concors Polonia, cum à fœderato lacerata exhaustaq; milite, attritis colonorum facultatibus, interceptis insessisq; Regiis Ecclesiæq; bonis; tantam pecuniæ contulit summam intra unius anni decursum, ad quam contribuendam ditissimæ gemerent provinciæ: ultra viginti milliones, si censum in singula jugera impositum adjicias, accepêre pauci seditiosi, enorme & crudele profectò ab ingratis Civibus à patria extortum spolium.* Contracta ad nonnullos paucos pœna, qui tantum scelus expiarent. Incentores & antesignani hujus seditionis infamiâ notati & proscripti. Cæteri, quamvis noxii appellati, in ipso Senatu patronos habuerunt. Fa-

cta hæc nefanda Seditio ann. 1613. quam non ſine cauſá tam latè narravimus, quia ante annos aliquot eundem vidit Polonia tumultum, eandem militum mercenariorum ſeditionem, quæ planè ad exemplum alterius formata videtur, & ſopita quoque eſt. Qui verò fuerint fomites illius mali, tempus docebit; & Deus vindicabit injuriam, quæ Reipublicæ, Clero, Nobilibus, Oppidanis, ac omnibus illata eſt.

Pag. 220. ſtipendiis ægrè procedentibus) In univerſum eſt hæc militis mercenarii natura, tumultus ciere, ſi ſtipendia tempeſtivè ſatis non numerentur. Neque interdũ miles prius conquieſcit, quàm compareant nummi; hanc tantum offâ latrantes cerberi egregiè mitigari ſolent; Eloquentia verò, conſilia & dexteritas nihil proſunt irritatis inopia & egeſtate, quæ ſurdas habet aures, & manus verò ocu-

oculatas. Majores profectò progreſſus in Muſcovia feciſſet Uladislaus, ſi æquè pecuniâ ſemper ac milite inſtructus fuiſſet. Vid. *Kobierzycky lib. 4. Hiſtor pag. 210 215. 220. lib. V. p. 258-264. lib. VI. p. 382.* alibi inprimis *libr. 8. p. 599. 600.*

P. 227. colonum turba.) Ingenti Exercitus morbo laborare ſolet, ſi impedimentis magnâque calonum lixarumque catervâ onuſtus ſit. Facit enim turba illa, ut non ſolùm cito commeatus deficiat, adeoque exercitum peſtis & fames invadat; ſed interdum victoria quoq; incertâ admodum currat pede; Imo, cum Zolkievius in Walachia adverſus Turcas militaret, & fortè fortuna ejus exercitus tumultu agitaretur & præcipiti metu, non dubitarunt calones alieno pavore ſecuri, tentoria diripere, ſarcinas ſcrutari Ducum ac militum, ſupellectilem ut prædam auferre. *Kobierzyck. l. 9.*

Qui

Qui tandem etiam, cum intempestiva fugâ castra turbassent, causa fuerunt, cur exercitus illius, quem non hostium vis, non locorum iniquitas, non dira fames fregerat, tantam cladem senserit. *Idem pag. 702. lib. 9.* & *Piasecius* latè quoque *p. 402. Chron.* Eadem pestis & insolentia lixarum Castra Uladislai afflixit. de qua *Kobierz. lib. 10. p. 777.*

P. 242. pro laneis.) Inde Polonorum, *Lanowe.* Tributum, quod pro militum stipendiis solvendis imponitur, *Ustawe*, vocant, *Czapowe* verò, quod cerevisiæ.

P. 254. Clerum teneri tributa in Polonia) Iterum nobis res erit cum *Lipskyo*, qui *quæst. VII. n. 7.* expressè *contributiones illas detestandas nominat, quas superioribus annis pro militibus confœderatis Clerus contra jus & æquum solvere coactus est, inusitato quodam modo, nullâque habita ratione immunitatum Ecclesiasticarum.* Ita vero, Lipsky, inusitatus tibi

tibi videtur modus? sed parum interest, an sit inusitatus, modo legitimus. Et eousque omnis immunitas Ecclesiastica restringenda est, quatenus salus & suprema Reipublic. necessitas aliud non exigat, quæ legum omnium & privilegiorum sanctimoniam in se continet. At verò negare, fuisse tùm Rempubl. Poloniæ summo discrimini expositam ob seditionem militis confœderati, summa temeritas esset. Dicit tamen, *licet imminente necessitate maxima Reipubl tales collectas Clero aliquando imponi posse non negarim; attamen non privato Laicorum mandato aut impulsu id fieri debere explorati Juris est. Primò enim necessario requiritur consensus solius Cleri.* An summa potestas Clero tributum imponere possit privato mandato, quæstio hujus loci est, quam negare videtur simpliciter Lipsky; nos affirmamus. Utique Rex Galliæ hodiè non tantum privato

vato impulsu indicit Clericis tributa, sed ne quidem consensum Cleri aut Papæ requirit. Stat ejus pro ratione voluntas, quam implere Clerici nolentes volentes coguntur. Quod Regem Poloniæ attinet, non potest quidem ille Clerum privato ausu tributis onerare; Ordinibus Regni competit ea potestas; interim tamen, qua ratione teneatur Respubl. consensum prius totius Cleri solicitare, non capio, cum omne illud, quicquid possidet Clerus in Poloniâ, debeat Reipublicæ. Ejusdem ponderis est, quando *Pontificis consensum requirit*: quod enim quisque in potestate ipse non habet, in alium transferre non potest. At verò Pontificem *Dominum bonorum Cleri* statuere, periculosa est sententia, nec probari potest.

Rectius itaque concludit *Hieron. de Cævallos. Tom. IV. commun. opin. contr. comm. qu. 899. n. 159.* quod in

„omnibus casibus respicientibus directè & principaliter utilitatem Clericorum, Ecclesiarum, & Laicorum, velut si hostes deprædentur civitates & agros Reipubl. vel similis aliqua necessitas superveniat, quæ simul & mixtim Ecclesiasticorum & Laicorum utilitatem directè atq; principaliter concernat, teneantur Clerici cum Laicis contribuere; id nihil derogare libertati Ecclesiasticæ, quin potius eam conservare. Refert ibi multos hujus sententiæ autores: & *n. 149. Clerici sunt pars & membra totius communitatis, unde cum de ratione partis s. membri sit, ut ad conservationem totius universi ordinetur; necessariò fatendum est; Clericos in his, quæ bonum publicum totius communitatis respiciunt, obligari posse à Principe seculari, qui in temporalibus est caput ipsius communitatis.*

P. 255. quia in Comitiis ab omnibus)

Hoc

Hoc est, quod tradit *Franc. Baco de Verulamio l. VIII. de augment. scient. c. 3. n. 2. Collationes publico consensu factas, minus animos subditorum dejicere, quàm quæ ex Imperio mero indicuntur.*

P. 256. (Josephus Riccius) Descripsit seditionem illam Neapolitanam narratione vigesimâ quarta.

P. 276. 279. aversaretur consanguinitatem Austriacorum.) Iteratum cum Austriaca Sigismundi connubium nonnullorum Procerum animos offendisse, narrat *Kobierz. l. 1. Hist. p. 32. ob metum Austriacæ potentiæ, ac si per geminata conjugia, Rege potissimum favente, illa paulatim introduceretur.* Idem *pag. 41.* Zamoiscium Regis improbatis nuptiis, Clementem VIII. acrioribus compellasse literis atque orasse, ne matrimonium & Regi & Regno grande discrimen allaturum, autoritate suâ ratum haberet; dein Nobilitatem commovisse, nimirùm, *connubio hoc ab Austriacis quæri modò, quibus Regnum Poloniæ in titulos hæreditarios transmittant.*

P. 277. circa gradus prohibitos.) Agit de dispensatione Pontificis circa matrimonia prohibita *Thom. Sanchez lib. VIII. de matrim. disp. 6.* ubi *n. 5.* dicit, *Tertia sententia est, (cui tanquam probabiliori adhæreo) posse Pontificem aliquando dispensare in jure naturali & divino, non in universum id jus, in quo dispensat, abrogando, sed ejus obligationem verè tollendo per veram dispensationem in casu aliquo speciali ex causa urgenti.* Exigua verò distinctio, jus naturale & divinum, aut ejus obligationem tollere. Magis rationi consentanea *Didac. Covarruviæ* sententia, quando *Tom I. part. 2. c. 6. §. 9. de Dispensatione* expresè negat, Abbat. in c. non est de voto rectè loquutum esse, *Papam posse cum causa in jure divino dispensare* : id enim nullo jure subsistere posse.

Ha-

Habet enim, pergit, *potestatem Roman. Pontifex interpretandi & declarandi jus divinum; ex qua declaratione constabit, jus illud ad casum aliquem non extendi ex aliqua causa: dispensandi verò nulla competit ei facultas, nec causa aliqua id pati potest.* Citat in hanc rem plures Autores *l.c.*

P. 278. Henricus Walliæ Princeps) *Jure naturæ & divino licere fratri relictam fratris viduam uxorem ducere, secluso jure humano*, multis argumentis probare conatus est *Joann. Roffensis in pecul. libello.* & post eum *Joh. Cochleus, Ferd. Illerdensis, & Alphonsus Episcopus*, editis super eopem matrimonio Regis Angliæ tractatibus. *Neque obesse, quod Johannes Baptista impensè Herodem accusaverit, ex eo, quod fratris uxorem accepisset. Marc. c. 6.* Ostendit enim *Cochleus in dicto libello de matrimonio Regis Angliæ*, Herodem ipsum uxorem legitimam filiam Aretæ Regis Arabiæ habuisse, atq; eâ repudiata, Herodiadem filiam Aristobuli, uxorem alterius Herodis fratris, adhuc viventis, violenter in conjugale consortium traxisse, teste *Josepho l. 18. antiq. Judaic. c. 9. Niceph. l. 1. Eccles. hist. c. 19.* Scribit tamen *Augustinus lib. unic. de fide & oper.* ambiguum esse, utrum Herodes mortui, an vivi fratris uxorem duxerit, & ideo, inquit, nõ ita claret, quid Johannes ei non licere dicebat. Vid. *Didac. Covarruviam Tom. I. part. 2. c. 6. § 10. n. 20.* ex quo hæc desumta sunt.

Pag. 292. Confœderatio inita est.) Confœderationem de pace inter dissidentes in religione tenenda inter Ordines factam esse an. 1573. & in volumen Constitutionum Regni insertam, fatetur *Lipsky qu. VIII.* quia verò summis viribus pacem illam religionis illicitam esse persuadere conatur Polonis, ideoque operæ pretium duximus, examina-

minare paulisper ejus argumenta; quorum primum est, quia *Confœderatio illa non est honesta*. Ita argumentatur; quæcunque leges non promovent virtutes, sed vitia, illæ nequaquam honestæ; atqui Confœderatio, qua libera cujuscunq; religionis professio permittitur, talis lex est. Ergò si conviciis veritas probari posset, rem planè confecisset Lipsky: at vero stupidi ingenii ille sit, qui non videat Minorem elumbem & claudicantem. Neque enim *cujuscunq;* Religionis Professionem Confœderationem illam permittere, docuit nos nuper publica Regni Constitutio, qua exilio multati sunt Ariani, gens ob immane religionis scandalum omnibus odiosa. Dein non omnis libera religionis professio Rebuspublicis exitiosa est; sed illa demum, quæ paci publicæ inimica & contraria: qualis est Anabaptistarum & reliquorum, de quibus *c. 13. p. 329.*

P. 329. Num verò Lutheranorum aut Reformatorum doctrina & religio talis sit reverà, probare debuisset Lipsky. Secundum est, *quia confœderatio illa bono communi, saluti, pacíq; publicæ contraria est.* Probat hanc thesin multis, sed ridiculis præsumtionibus. Accumulat enim multa incommoda ac pericula, quæ ex illa confœderatione oriri possunt; cùm debuisset eventum potius probare. Nec enim sufficit, in thesi multa verba facere de iis, quæ fieri possint; sed necessarium est probare in hypothesi, an illa quoque facta sint. Ast confœderationem illam magna incommoda & perturbationes secutas, fundationes à majoribus piè institutas Ecclesiisque Catholicorum adscriptas hac credendi liberte convulsas, decimas & census Ecclesiasticos subtractos, Sacerdotes bonis & parochiis spoliatos esse, non probavit Lipsky. Fal-

ſum eſt quoque *discrepantes de religione ſententias, contentionibus, rixis, bellis, rapinis, luculentisſimam præbere materiam.* Docet contrarium ipſa Polonia noſtra, quæ ob religionis diverſitatem nullum unquam bellum civile vidit. Quanquam non nego, ortas fuiſſe interdum in Interregnis ob religionem diſſenſiones, *non propter diſſenſum, ſed negatam diſſentiendi libertatem,* inſtinctu inprimis Epiſcoporum. *vid. p. 342.* Propterea Germania tot bellis labefactata, Gallia civilibus bellis jactata eſt: quia utrique Cæſares ac Reges negare voluerunt conſcientiæ libertatem; quam ſi concesſiſſent, pacatè magis potuiſſent regere Reſpublicas. Falſa porrò eſt concluſio, *in Eccleſiaſticis rebus omnibus, maximè verò, quæ concernunt religionem, nullum præter ſolum Pontificem habere facultatem condendæ legis.* vid. *cap. 13. p. 397. N. 13,* ait, *religionis libertatem juri divino aut naturali contrariam eſſe;* quam ſententiam mera calumnia probat. Reliqua ejus argumenta vix ullo examine digna ſunt. Poteris verò Lector ex illis tanquàm ex ungue Leonem cognoſcere, qualis fuerit Lipskii erga Disſidentes animus.

Pag. 292. in latinum ſermonem.) Imò verò latinè verſam ediderunt ejus hiſtoriam naturalem & moralem Indiæ occidentalis Theodori de Bry filii, conſtituentem nonam & poſtremam Americæ partem. Verba ejus, quæ huc faciunt, habentur *lib. VI. c. 1. Quod ſi quidem Romanorum aut Græcorum ſeculo de forma ac ratione Mexicanorum aut Ingarum rerumpublicarum quid uſpiam compertum fuiſſet; earum certè ſublimitatem ac moderationem haud mediocriter admirati fuiſſent.*

P. 317. Hieron. de Cavallos.) Verba ejus prolixa nimis quàm ut hîc commodè apponi posſint. Adde

Covarruviam c. peccatum. de reg. jur. part. II. §. 10. & Ludov. Molin. Tom. 1. de Just. & jur. tract. II. disp. 106. conclus. 2. qui omnes, quamvis Hispani, non dubitarunt apertè fateri, arma Hispanorum adversus Indos injusta esse.

p. 322. Judaeorum Privilegia descripsit Scuminovius,) cui adde *Andream Lipsky cent. 1. observat. practic. 100.*

p. 337. autoritati Lipsii,) & verò hic inprimis urgere conatus est, nequaquam conducere reip. diversitatem religionis. Num scopum satis assecutus fuerit in libello *adversus Dialogistam*, penes te, Lector, sit judicium.

Ad *c. ult.* Addendum denique: quia Poloni parùm curant munimenta, eo ipso æqualitatem Reipubl. magis promovere illos. Et rectè *Albert. Kranzius lib. 1. Wandal. c. 3.* inquit, *Patrium est illi genti, quo magis in omni nobilitate servetur æqua-*

qualitas, non indulgere structuris lapidum, & fidere munitionibus præsidiorum, quas nostri vocant arces; pace, tranquillitate & parilitate se potissimùm munitos volunt.

Index Rerum & Verborum.

A.

I.

L.

ERRATA.

Propter Autoris absentiam non solùm multa Sphalmata Typographica operi irrepserunt; sed multa quoq; apposita, quæ omitti & omissa, quæ apponi debebant; adeò, ut interdum dictio planè hæsitet & elumbis sit. Præcipua verò, quæ tumultuariâ lectione notari potuerunt, hîc adjicienda esse operæ pretium duximus, ut sensus verbis addi possit. Reliqua, benevole Lector, tua humanitas corriget, neq; id negligentiæ Autoris imputabit.

p. 25. pro *animam, animum*. p. 28. pr. *Reipublila, Reipublica*. p. 37. pr. *post* l. *part*. p. 38. pr. *Bavarica, Batavica*. p. 45. pr. *noblilitatis, nobilitatis*. p. 46.

46. pro *Schaftnaburgensi, Schafnaburgensi*. p. 47. pro *Coipo, Wippo*. p. 49. pro *Laubertus, Lambertus*. ibid. pro *tributam, tributum*. p. 53. pro *omnes, omnis*. p. 66. pro *eligenda, eligendi* ib. pro *Tomnensibus, Torunensibus*. p. 69. *habent*, l. *habeat*. p. 70. pro *ambibant, ambirent*. ib. pro *Languelt, Languett*. ib. pro *pericolo, periculo*. ib. pro *consilis, consilii*. p. 71. *samoiscio, Samoiscio*. p. 72. pro *certum, certam*. p. 77. pro *Nonannujam, Normandiam*. p. ead. vox *Britanniam*, bis posita. p. 81. pro *fecerir, fecerit* ib. pro *Posnariensis, Posnaniensis*. ib. pro *adjerit, adjecit*. p. 95. pro *judica, judicia*. p. 100. pro *in, a*. p. 101. pro *nec, ne* p. 118. pro *manifestit, manifestis*. p. 120 pro *orangl. orange*. p. 123. l. 2. *expeditiones, expeditionem*. p. 124. pro *magones*, l. *mangones*. ib. l. 17. *quod*, l. *qui*. p. 127. l 16. dele *verò*. l. 17. *scribit*, l. *scribat*. p. 129. pro *nisi quod*, leg. *saltem*. p. 133. l. 5. post verbum *Parlamentum* addatur *dicitur* p. 136. deleantur *verba*, & *multa* addi. ib. l. 20. post vocem *proximè* adde verbum *ad*. p. 139. l. 13. pro *vana, varia*. p. 41. pro *Stockholm, Holmia*. ibid. lin. 13 dele voc. *Histor*. ib. pro *prosibuisse, probibuisse*. p. 150. l. 15. dele *Causidicos*. ib. pro *venales, venalis* p. 158. pro *consulant, consulunt*. ibid. pro *ferre, ferri*. p. 163. l. 14. post verbum *finiret*, add. *Refert illam*. p. 171. pro *Henninus Henningus*. p. 173. l. 3. & 4. pro *autem, enim*, add. *Clerici*. p. 174. l. 4 pr. *Reipupl. Reipubl*. p. 176. pr. *oblivisabantur, oblivis cebantur*. ibid. post vocab. *Pontifices* adde, *quamvis*. p. 179. l. 6. post verbum *planè* adde *exemplum*. ib. l. 11. dele vocab. *verò*. p. 184. pro *Lablin. Lublin*. ibid. pro *Busfiæ, Borussia*. p. 191. l. 8. *pugnandam* l. *pugnandum*. p. 192. *electione, electionem*. p. 194. l. 8 dele. *ut testatur*. p. 195. l. 6 pro *Regni, Regi*. ibid. l. 12. pro *non, ne*. p. 196. pro *erant, essent*. ibid. *exposcebant, exposcerent*. pag. 200. post vocab. *decem*, adde, *pediti*. ibid.

l. 23.

ERRATA.

l.23. *potuerunt*, *potuerint*. p.201. l. 2. *Tauricum*, *Tauricam*. lin. 3. pro *ut*, *quò*. lin. 7. pro *Reibubl.* *Reipubl.* p.202. *assignavit*, *assignaret*, p.203. pro *Techtimiroco*, *Techtimirovv*. p. 206. l. 6. *Zaporahi*, *Zaporohi*. ib. *præstantam*, *præstantem*. p.207. *superanatent*, *supernatent*. p.209 *invadunt*, *invadant*. p. 210. l. pen. pro *dubitavit*, *dubitaverit*. p. 211. *evaserunt*, *evaserint*. p. 212. pro *hac*, *hoc*. p.213. l 6. pro *quem*, *quam*. p.216. l. 13. pro *esse*, *est*. p. 217. l. 10. pro *querenda*, *quarenda*. p. 219. pro *Otman*, *Osman*. ibid. pro *quia*, *qui*. p. 221. l.3. pro *magis*, *magnis*. p. 223. pro *credimus*, *credidimus*, p.225. pro *claruerant*, *claruerunt*. p. 231. l.4. post verbum *consulit*, adde, *Staravolscius*. p.232. l ult. deleatur *punctum*, & scribatur, *ubi*. p.236. *æstimatum*, *æstimatam*. ibid. l.19. pro *hebetur*, *habetur*. ibid. pro *purgemus*, *pergemus*. p. 238. l.18. dele *verò* p.239. lin. pen. pro *nullam*, *nullum*. l. ult. pro *imponat*, *imponeret*. p. 243. l. 10. *vocabant*, l. *vocabantur*. p. 244. pro *levabantur*, *levarentur*, p.246. l.22. post verba *esse ait*, adde *ut*. p.259. pro *Gosnanienses*, *Posnanienses*. p. 249. l.11. pro *verrùm*, *verùm*. p. 262. pro *eriantur*, *oriuntur ex moneta*. p.261. l. pen. dele voc. *merces*. p.267. post verbum *Africa*, addenda, *sua venena*. p. ead. pro *ut testatur*, *de quo*. p.271 pro *ibi*, *uti*. p. 274. pro *Regina*, *regna*. p. 278. l. 5. post verbum *reddunt*, adde *Pontifices*. p.283 pro *Bragensem*, *Pragensem*. pro *Coiclefum*, *Wiclefum*. p. 286. pro *pugnare*, *purgare*. p.287. pro *annum*, *anno*. p 288. pro *suppliccia*, *supplicia*. p. 296. pro *Dusitentes*, *Dusidentes*. p.305. pro *&*, *nec*. p. 306. pro *tolerat*, *toleret*. p. 308 l. pen. pro *ut*, *&*. p. 317. pro *calpatam*, *culpatam*. p. 327. pro *sacrificia* p. 329. pro *ut testatur*, scribe *vide*. l.7. pro *ut*, *&*. p. 331. pro *audiunt*, *audiant*.

F I N I S.